QUAESTIONUM LUCRETIANARUM
CAPITA DUO

DISSERTATIO INAUGURALIS
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS
IN
ALMA LITERARUM UNIVERSITATE FRIDERICA GUILELMA
BEROLINENSI
AD
SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES
RITE CAPESSENDOS
IPSIS KALENDIS JULIIS A. MDCCCLXXXII
HOR. XII.
PUBLICE DEFENDET

SCRIPTOR
GUILELMUS LOHMANN
BIELEFELDENSIS

ADVERSARIORUM PARTES SUSCIPIENT

IOHANNES ADAM, DR. PHIL.
HERMANNUS LUEBKE, CAND. PHIL.
MARTINUS SOROF, DR. PHIL.

BRUNSVIGAE
TYPIS M. BRUHNII
MDCCCLXXXII

Caput I.

De repetitionibus.

Cui debeantur loci in carmine Lucretiano repetiti quaestio adeo non ad consensum omnium soluta est, ut qui novissime eam tractavit, Gneissius, de versibus in Lucretii carmine repetitis Argentor. 1879, ita ut repetitiones alienas esse a Lucretio demonstraret, in praefatione commentationis Studemundum ab ipso dissentire fateatur. Antea Vahlenus, Monatsber. der Berl. Ak. 1877, contrariam sententiam etsi non pluribus confirmavit, diserte tamen pronuntiavit. Qui vero Gneissii libellum recensuerunt, Tohtius (Fleckeisen Jahrbb. 1879, 541—53) et Briegerus (Bursian Jahresb. 1879, II 201—8), quamquam non omnia comprobant, tamen non solum acumen auctoris agnoscunt, sed in multis rebus ei assentiuntur. Item Neumannus in commentatione de interpolationibus Lucretianis Halis Sax. 1875 multas repetitiones spurias esse ostendere studuit, quamquam multas voluit esse genuinas.

Quae cum ita sint, hanc quaestionem, quippe quae pertineat ad artem et ingenium poëtae recte aestimanda, denuo retractare constitui, praesertim cum iam non in universum repetitiones utpote molestae in carmine didactico a poëta abiudicentur, sed ex vera interpretatione singularum principia iudicii repetenda esse ab omnibus concedatur. Nec iam offensiones omnes interpolationis signa habentur. Permultas enim Tohtius et Briegerus imperfecto carminis statu excusari censuerunt. Sed cum ille Gneissium secutus non dubitet partes, quae non sine damno carminis desunt, Lucretio adimere (e. g. vv. III 87—93, qui prooemium libri concludunt), et Briegerus quidem versus, qui etsi non requiruntur tamen maiores offensiones non praebent (e. g. illius prooemii vv. 87—90), interpolatos esse existimet: fundamenta crisis adhuc valde vacillare mihi videntur. Gneissius autem ipse quoniam commentatione sua repetitiones condemnavit, praesumptam illam

opinionem quasi eis poëta omnino abstinuerit non tam sustulit quam confirmavit. Mihi universo dicendi genere id videtur comprobari, quod, ne ultro fundamenta nobis evertamus, ex ipsis legibus artis criticae ponendum est: repetitiones, quae sententiarum nexu flagitentur, Lucretio deberi, etsi non omni careant molestia; immo non quae flagitantur modo, sed etiam quae non alienae sunt, genuinae mihi videntur. Ex incommodis autem, praesertim ex levioribus orationis incommodis, nihil amplius me arbitro recte diiudicatur quam quo loco versus iterati primitus sint collocati. Quodsi demonstratum erit Lucretium non fugisse repetitiones, satis fore suspiceris verbo dicere eas, quas Gneissius aliique emendatori carminis sive interpolatori attribuerunt, referendas esse ad Lucretium ibique secundarium tenere locum, ubi offensioni sint. At ne molestiae quidem quae monstrantur omnes agnoscendae mihi videntur, aliae autem non satis recte ab aliis refutatae, nonnullae denique etiam esse intactae, ut in singulos locos iterum inquirere operam non perditam fore sperare liceat.

Sed antea fundamenta quaestionis firmiter constabilienda sunt. Itaque primum affero repetitiones quasdam, quae nullo pacto tentari possunt, cum aut necessariae sint aut aptae atque omni vacent reprehensione; deinde tales, quae quamquam molestiis laborant tamen numquam in dubitationem vocatae sunt, quoniam item per se deleri nequeunt.

Omissis igitur formulis orationis aliisque certis verborum complexionibus [1]), quales etsi apud Lucretium plures fortasse et eae quidem saepius recurrunt tamen apud quemvis scriptorem inveniuntur (cf. Albrechtius, Wiederholte Verse und Versteile bei Vergil, Hermes XVI 393—444, maxime 402), pleni fere versus in una eademque argumentatione hi potissimum iterari videntur:

corpora cum deorsum rectum per inane feruntur II 217
——— quo citius ——————— II 226
nec tempore certo
nec regione loci certa II 259. 60
——————————————— II 293
dum facile in venas cibus omnis inditur et dum II 1125
nec ——————————— diditur ei II 1136

1) Ex hoc genere sunt e. g. saepius iteratae:
Magnopere a vera lapsi ratione videntur,
multa modis multis in cunctas undique partes;
plures congessit Gneissius pg. 7 et 8. Huc pertinent formulae magis poëticae quales sunt
morte obita quorum tellus amplectitur ossa I 135
quorum morte obita ——————— IV 734
Democriti quod sancta viri sententia ponit III 371 V 622
. . nigra virum percocto saecla colore VI 722, 1109.

cf. haec eadem cibus, in venas dum diditur omnis IV 955
diditur in venas cibus omnis, auget alitque VI 946,
mittier ab rebus summo de corpore rerum (effigias) IV 43
ab rebus mitti ——————— (imago debet) IV 64
quod genus illa foris quae vere transpiciuntur IV 271
alter et ——————— IV 278
fit quoque de speculo in speculum ut tradatur imago IV 326
usque adeo ——————— translucet ——— IV 332
ex ineunte aevo coniunctam atque uniter aptam (terram aëri) V 537
——————— coniuncta ——————— apta (terra aëri) V 555
propterea quia tam ——————— est (anima corpori) [V 558,
mutat enim mundi naturam totius aetas
ex alioque alius status excipere omnia debet V 828. 9
sic igitur mundi naturam totius aetas
mutat, et ex alio terram status excipit alter V 834. 5
tamquam demissa columna
in mare de caelo VI 426. 7
——————— ——————— VI 433.

In diversis argumentis tamquam propositiones sive clausulae sive confirmationes repetuntur vv:

sunt igitur solida primordia simplicitate I 609
——————— pollentia ——————— I 574

cf. at quae sunt solida primordia simplicitate II 157, de I 548 cf. pg. 40

ne tibi res redeant ad nilum funditus omnes I 797, I 673 cf. pg. 36, II 756 cf. pg. 36, II 864 cf. pg. 41
ne res ad nilum redigantur funditus omnes I 791, II 752 cf. pg. 36
praeterea si immortalis natura animaist III 624
——————— III 670
nam communibus inter se radicibus haerent (animus et corpus) III 325
——————— (terra et mundus) V 554
nam cur luna queat . . V 753
tempore eodem aliut facere id non posse putetur | corpus 756
et cur terra queat . . V 762
tempore eodem aliut nequeat . . . | corpus 765
. . cur hic posset . . V 1043
tempore eodem alii facere id non quisse putentur? 1045
porro aliut clarescit et e contemptibus exit V 833
——————— succedit ——————— V 1278
fulgit item cum rarescunt quoque nubila caeli VI 214
praeterea (pluit) ——————— ventis VI 513
propter dissimilem naturam dissimilisque | texturas (aliae res aliis animantibus aptae sunt) VI 775
——————— textaque rerum (suam quisque sensus rem percipit) VI 990;

eadem propositio eisdem effertur verbis:

et quibus ille modis congressus materiai
fundarit terram caelum mare . . V 67. 8
sed quibus ——————————————
——— terram et caelum pontique profunda V 416. 7.

Nec ita dissimiles sunt praeterea vv.:

sunt igitur venti, nimirum, corpora caeca I 277
quare etiam atque etiam sunt venti corpora caeca I 295
temporis in puncto rerum simulacra ferantur IV 164
nunc age, quam celeri motu ——————— IV 176
quam celeri motu rerum ——————— IV 210
nunc ea quae dico ——————— feruntur IV 239
nunc quae mobilitas sit reddita materiai | corporibus II 142
et ——————— ollis tranantibus auras | reddita sit (simulacris) IV 177
cetera de genere hoc monstra ac portenta loquontur IV 590
——————————————————— creabat V 845.

His adnecto duas repetitiones, quae neutro loco requiruntur, utroque tamen aptae sunt:

sanctius et multo certa ratione magis quam
Pythia quae tripodi a Phoebi lauroque profatur:

ita I 738. 9 poëta philosophos quosdam dicit tamquam ex adyto cordis responsa dedisse, neque minus commode quamquam audacius V 111. 12 se ipsum ait fundere fata.

V. autem

tibia quas fundit digitis pulsata canentum

duobus locis (IV 585, V 1385) eisdem verbis „dulcis querellas“ subiungitur.

Versuum porro IV 180—2 = IV 909—11

suavidicis potius quam multis versibus edam;
parvus ut est cycni melior canor, ille gruum quam
clamor in aetheriis dispersus nubibus austri

duo quidem posteriores utroque loco omitti possunt; utrique tamen eos pariter convenire non est quod dicam.

Verba denique

noctes atque dies niti praestante labore
ad summas emergere opes,

quae III 62. 3 orationis structura retinentur, II 12. 13 una cum eis, quae alterum versum explent, „rerumque potiri“ facili quidem opera sed non nisi arte critica contempta tollantur.

Repetitiones, quas attuli, molestiis carent; nunc subiciam paucas, quae etsi offensioni esse possint tamen numquam vexatae sunt. Ita vel formulae interdum minus accurate ponuntur. Verba

quidem „quare etiam atque etiam“ (I 295, 1049, II 377 . .) non idonea videntur, cum quibus iungantur negata illa „minime mirarier est par“ e. g. IV 289

quare etiam atque etiam minime mirarier est par,
cf. —————— procul est ut credere possis IV 856.

Porro num putas vv. V 855. 6

multaque tum interiisse animantum saecla necessest
nec potuisse propagando procudere prolem

futurum fuisse ut ita conformarentur, nisi antecederent similiter elata

ut propagando possint procudere saecla (850)?

Ne opponas eandem formam exstare IV 495. 6

ideoque necessest
non possint alios alii convincere sensus,

moneo ibi versus exitum „ideoque necessest“ ex v. 490 audiri. — Quod qui negat, tamen largietur fortasse vv. V. 182. 3

notities hominum dis unde est insita primum,
quid vellent facere ut scirent animoque viderent?

compositos esse ad exemplum versuum V 1047—49

unde insita notities est
utilitatis et unde data est huic prima potestas,
quid vellet, facere ut scirent animoque viderent?

Hoc enim loco sententia sine salebris ita currit: unde huic notities utilitatis insita est et prima potestas facere ut scirent (sc. ceteri) animoque viderent quid vellet (sc. ipse)? illo autem non alia modo et minus elegans est structura: notities ut scirent animoque viderent quid vellent facere, sed nescio an mira sint verba „ut scirent quid vellent facere“, cum exspectemus „ut scirent qui eos (i. e. homines) facere possent“. Quae disputavi non refelluntur eo quod illi versus in carmine hos antecedunt; etenim iam Lachmannus aliis rationibus vv. V 110—234 postea carmini intextos esse ostendit. — In alio emblemate exstant vv. (II 1058—66):

cum praesertim hic (sc. orbis terrarum) sit natura factus, et ipsa
sponte sua forte offensando semina rerum
multimodis temere in cassum frustraque coacta
tandem coluerunt ea quae coniecta repente
magnarum rerum fierent exordia semper,
terrai maris et caeli generisque animantum.

(v. 1061 „coluerunt“ restituit Lachm.). Ex his recte opinor hic sententiarum progressus elicitur: (In infinito spatio non verisimile est hunc unum orbem terrarum creatum esse, tot autem elementa foris nihil agere,) praesertim cum hic (orbis) eadem natura, quae dominatur in universo, factus sit et primordia eum eisdem motibus effecerint, quibus omnino res magnas — terras maria cett. —

constituere solent, sive accuratius: praesertim cum eadem natura, qua hic orbis factus est, dominetur in universo et primordiorum motus, quibus hic orbis constitutus est, ubique sint et omnino res magnas efficere soleant. Sed difficultates huius loci nemo non sentiet. Etenim modus indicativus „coluerunt" 1061, qui respondet antecedenti „sit factus" 1058, et coniunctivus „fierent" 1062 explicatum vix habent, nisi arcessuntur vv. V 429—31, ubi, cum cetera sint eadem cum II 1061—63, pro „coluerunt" est „conveniant" et pro „fierent" „fiunt", quae quidem formae in hunc locum minus videntur quadrare. — Subsequentium porro versuum II 1064—66

quare etiam atque etiam talis fateare necesse est
esse alios alibi congressus materiai,
qualis hic est, avido complexu quem tenet aether

sententiae adeo contractae sunt, vix ut dispicias, quae in eis inesse videantur: „fateare necesse est esse alios alibi congressus materiai, ut probabile sit etiam tales alibi esse, qualis hic est . . .", nisi contuleris vv. V 187—94, ubi simillimae bene distinguuntur: primordia ex infinito iam tempore consuerunt . . . omnia pertemptare, quaecumque inter se possent congressa creare, ut non sit mirum, si in talis dispositiuras deciderunt quoque . . ., qualibus haec rerum geritur nunc summa novando i. e. si hunc quoque statum effecerint (in l. II autem: ut non sit mirum, si alibi quoque idem status efficiatur). Forma quidem ex hoc loco non deprompta est, iniqua tamen orationis brevitas nisi fallor inde orta est, quod poëtae cum haec scriberet illa obversabantur. — Paulo post hos vv. in eodem embolio II 1090 sqq. naturam non deos omnia perficere argumentis evincitur, quae VI. 387 sqq. sic discernuntur: Jupiter atque alii dei si fulmina mittunt, cur petunt eis innoxios, loca sola, maria? an tum brachia consuescunt? (—405) qui autem possit Jupiter in multas simul partes mittere fulmina? (411—16) cur denique sancta deum delubra suasque sedes fulmine discutit? (417—20). Haec omnia in l. II una hac periodo comprehenduntur: quis summam immensi regere potis est, quis caelos omnes convertere et terras ignibus suffire inve omnibus locis omni tempore praesto esse, ut nubibus tenebras faciat, tum fulmina mittat et aedis saepe suas disturbet et in deserta recedens saeviat exercens telum, quod saepe nocentes praeterit exanimatque indignos? Ne suspiceris Lucretium cum ita loqueretur nondum distinxisse cogitationibus singula: „neque potest unus Jupiter summam regere, neque, si posset, suas sedes disturbaret aut innoxios peteret aut loca sola; an tum lacertos eum firmare putas"? Nam ut demonstraret naturam per se omnia creare, cur argumentum e fulminibus petiit, cum multa mirabilia homines divinitus fieri arbitrentur, nisi in l. VI, ubi de

fulminibus agit, haec non a deis mitti sed natura fieri diserte exposuit? Nimirum etiam huius loci compendiaria scribendi ratio inde nata est, quod sententiae antea expeditae animum poëtae subibant. — Non quidem moleste videtur forma „aevi“ in duobus versibus sese excipientibus iterata V 1216. 17

perpetuo possint aevi labentia tractu
immensi validas aevi contemnere vires:

id tamen nisi fallor inde colligere licet alterum versum antea seorsum positum esse I 1004, alterum V 379 [1]).

Nisi viderer in incerta decurrere, etiam ad explicandum talem soloecismum: VI 759 „quadrupedes . . . ut si sint mactata repente“ similem versus exitum adhiberem, qui est II 1034 „si sint obiecta repente“; sed tales sermonis iniquitates vix potest certo demonstrari eo esse effectas quod similia verba per aures sonarent; itaque — id quod magis ad hanc quaestionem pertinet — sententias quasdam principales, quae iterum atque iterum lectori inculcantur, ut fors eas obtulit, filo quodam nectam: Terra omnia creavit, nam neque de caelo cecidisse animalia possunt nec de salsis exisse lacunis II 1153—59, V 790—94; itaque merito mater appellatur II 598, 9, *998 [2]), *V 795, 821; nunc tamen effeta est et destitit parere II 1150—52, 1160—72, V 826—8; etenim res mutantur semper II 69—79, 300. 1, 1173. 4, III 964 sqq., V 247—60 terra, 261—72 aqua, 273—80 aër, 281 - 305 ignis, 306 sqq. cetera; quod autem mutatum finibus exit, continuo hoc mors est illius quod fuit ante *I 670, 792, II 753, III 519, 756; itaque caelum et terra mox ruinam dabunt V 93 sqq., 343 sqq.; nec tamen quidquam oritur nisi morte adiutum aliena I 264, II 62—79, 1002 – 6, III 965; ergo ne res ad nilum redigantur de niloque renata vigescat copia rerum, primordia aeterna sint necesse est *I 672—4, 756—8, *II 750—52, 1002—6, quae in rebus permixta I 196 sqq., 814—22, 859—74, II 581—99 et 660—87, diverso motu concursu positura . . . varias res procreant I 684 sqq., *I 817 sqq., *908 sqq., II 883 sqq., 1007 sqq.; quemadmodum literae verba diverso ordine I 197, 822—27, * 912 sqq., *II 688—91. Quodsi rerum ignorem primordia quae sint, ex ipsis caeli rationibus hoc tamen confirmare ausim mundum non divinitus esse creatum *II 177 sqq., V 195 sqq.; homines vero, quorum operum causas nulla ratione videre possunt, ea divino numine fieri rentur I 153. 4, V 1183 sqq.,

---

1) tales offensiones apposuisse non tamen prorsus a re alienum esse concedet quicumque reputaverit multas, propter quas versus iterati in dubitationem vocati sunt, vix esse graviores.

2) loci stellae signo * distincti tentantur.

* VI 56. 7, * 90. 91; itaque miseri in terrore ac tenebris se volvunt (haec sententia in exordiis fere omnium librorum recurrit). Hunc terrorem tenebrasque animi necesse est pellant non radii solis sed species naturae ratioque (ibidem). Hanc viam primus aperuit Epicurus dictis non armis I 66 sqq., V 49 sqq. Eius ipse premo vestigia III 1 sqq. V 55 sqq., in primisque repertus sum, qui Graecorum praecepta Latinis literis illustrarem I 926 sqq., * IV 1 sqq., V 335 sqq. Difficile hoc munus est propter egestatem linguae et rerum novitatem I 136—9, 832 sqq., V 97 sqq., cf. III 260. Quod quidem in hoc mundo fiat certum poni vix potest, sed quid possit oriri . . . id doceo pluresque sequor disponere causas, quarum una tamen vera sit V 526—33, VI 703. 4.

Has et his similes sententias — etiam praeter locos, quos attuli — saepius recurrere non mirabile est; at interdum etiam singulares sententiae, quae ad universum carmen minus valent, iterantur. Non dico diversas confutationes et explicationes ex eodem saepius argumento derivari — velut dogmata Heracliti Empedoclis ceterorum philosophorum, qui non atomos et inane tamquam principia rerum posuerunt, eadem hac ratione seorsum refelluntur quod, ut ex illorum elementis res oriantur, ea ipsa mutentur, mutatione autem conficiantur; ratio quoque Avernorum locorum VI 830 sqq. et Magnetis lapidis VI 1002 sqq. eadem esse dicitur sc. quod ut inter terram et aves ita inter lapidem et ferrum spatium vacefiat —, sed dignum mihi videtur quod animadvertatur poëtam explicantem, cur praeter ferrum aliae res Magnete non attrahantur, eodem uti hoc exemplo VI 970

barbigeras oleaster eo iuvat usque capellas
effluat ambrosiae quasi vere et nectari' linctus;
qua nil est homini quod amariu' frondeat esca.
denique amaracinum fugitat sus et timet omne
ungentum: nam saetigeris subus acre venenumst,

quod V 899 sq.

videre licet pinguescere saepe cicuta
barbigeras pecudes, homini quae est acre venenum

adhibuit, ut Centauros Scyllas cetera animalia, ex alienigenis membris composita, non exstitisse demonstraret, et IV 640 sq.

nobis veratrum est acre venenum
at capris adipes et coturnicibus auget

inter alia attulit, ut saporem diversum esse explanaret. Ter hoc exemplo eadem probatur sententia „non omnibus omnia vel eadem convenire“, quae quidem sententia ipsa ad diversa argumenta accommodatur. — Quid quod eodem exemplo, quo in l. I corpora caeca exstare docemur:

fluctifrago suspensae in litore vestes
uvescunt, eaedem dispansae in sole serescunt,

in l. VI primum declaratur, quo modo nubes oriantur,

470 permulta mari quoque tollere toto
corpora naturam declarant *litore vestes*
suspensae, cum concipiunt umoris adhaesum,

deinde paulo post, 503 venti concipiunt
umorem, veluti *pendentia vellera lanae*

exponitur, qui pluvius umor concrescat in nubibus, denique VI 617 sq.

videmus . . . vestis umore madentis
exsiccare suis radiis ardentibu' solem

vestis quidem exemplo — quae tamen exsiccatur, non ut ceteris locis umorem capit — qui sol partem maris aestu detrahat expeditur? — Universa porro ratio, qua anellus ad Magnetem propellitur et nos meantes aëre movemur, est simillima atque eodem fere illustratur exemplo: VI 1032 aër ferrum
trudit et impellit quasi *navem velaque ventus*,
IV 897 fit aëre et vi intestina,
corporis ut *navis velis ventoque* feratur.

Nec vero minus memorabile videtur poëtam vel eandem rem bis eodem illustrare exemplo. Velut VI 179 fulgur eo docet oriri quod ventus invadat nubem et versatus ibidem mobilitate sua fervescat, ut . . . *plumbea* . . . *glans* etiam longo *cursu* volvenda calescat, et paulo post VI 306 sq. ventus – inquit – igniscit longo meatu . . .

non alia longe ratione ac *plumbea* saepe
fervida fit *glans* in *cursu* . . .

cf. praeterea VI 160 sqq. nubes semina ignis excutiunt suo concursu, ceu lapidem si
percutiat lapis aut ferrum,
et VI 309 ipsius plagae vis venti excitat ignem
314 ut lapidem ferro cum caedimus, evolat ignis.

Sed horum exemplorum numerum quivis facile augebit. Itaque iam liceat paucis indicare, quid de repetitionibus iudicandum mihi videatur. In animum non possum inducere eas fefellisse poëtam. Immo VI 936 sqq. in expedienda vi Magnetis diserte „nunc“ inquit „omnis repetam quam raro corpore sint res commemorare; quod in primo quoque carmine claret“, deinde haec enarrat exempla, quibus in l. I usus est:

942 fit ut in speluncis saxa superne
sudent umore et guttis manantibu' stillent
I 348 in saxis ac speluncis permanat aquarum
liquidus umor et uberibus flent omnia guttis,
946. 7 diditur in venas cibus omnis, auget, alitque
corporis extremas quoque partis unguiculosque

I 350 dissipat in corpus sese cibus omne animantum,
951 . . . per dissepta domorum saxea voces
pervolitant, permanat odor frigusque vaposque | ignis . . .
I 354 inter saepta meant voces et clausa domorum
transvolitant, rigidum permanat frigus ad ossa
cf. VI 228 transit . . . validum fulmen per saepta domorum
clamor ut ac voces, transit per saxa, per aera
I 489 transit . . . fulmen caelum, per saepta domorum
clamor ut ac voces, ferrum candescit in igni.

Qua quidem ex comparatione nolim concludi similium locorum alterum inspecto altero compositum esse. Interdum enim redeunt versus uno vel paucis verbis commutatis velut

III 701 quod permanat enim dissolvitur, interit ergo
756 —— mutatur ———————————— ;

aut eadem verba repetuntur aliter structa (cf. Lachm. comm. ad V 1048. 9) e. g.

VI 200 quaerentesque viam circumversantur, et ignis
semina convolvunt sc. venti
V 520 quaerentesque viam circumversantur et ignes
passim per caeli volvunt immania templa;

non numquam denique etiam eisdem verbis alia notio subest. Non dico de singulis vocibus, quae consilio quodam diversa significatione ponuntur (cf. Vahlenus in ind. lect. Berol. 1881. 2 pag. 7), neque omnes verborum complexus, quibus aliis locis alia subicitur sententia, quasi auribus atque ipso sonitu continebantur; casui enim debetur e. g. hic verborum concentus:

II 890 lapides . . . nequeunt vitalem reddere sensum
i. e. vitam efficere
et II 1006 fit ut res . . . capiant sensus et puncto tempore
reddant i. e. perdant.

Sed si ter V 488, VI 405, VI 1142 in versus exitu „camposque natantis“ intellegendae sunt „undae“, semel VI 267 „camposque natare“ significantur „campi inundati“, vel si II 863 „fundamenta quibus nitatur summa salutis“ dicuntur „primordia rerum“, IV 506 autem: „fundamenta quibus nixatur vita salusque“ cum alia vivendi principia tum „fides sensuum“ (cf. pg. 5 III 325, V 554 et VI 775, VI 990): non videtur improbabile poëtam in eorundem verborum usum recidere, quia sonus et numerus eorum in mente haerebant.

Etiam maiores versuum series Lucretium memoria tenuisse quid omnino mirum, cum dies et noctes elaboranti facilius inhaerescant praesertim ea quae numerorum vinculo cohibentur? Iam si quis eo confugiat ut eos saltem locos, quos ex aliis exscriptos esse verisimile est, interpolatori tribuendos esse contendat propterea quod illa opera indigna sit poëta: is nisi fallor non rationi-

bus nitatur et concludere vereatur, quod iam non licet repudiare. Nam si poëta formam, qua semel sententiam concepit, de memoria repetere non dubitavit, ne e chartis quidem eam repetere censendus est dubitasse; non quo secutus sit repetitiones, sed eas non vitavit. — Quod si recte disputatum est, non licet ex eis iudicium petere de arte et ingenio poëtae, quae quidem aliunde satis pernoscuntur. Num vero in expoliendo carmine poëta eas remoturus fuerit inquirere non est huius loci. Neque enim quid ille facturus fuerit iam quaeritur, sed quid fecerit in carmine quale traditum est.

Quoniam repetitiones necessariae aut aptae, etiamsi forma laborat offensionibus, Lucretianae nobis videntur esse, interpolationis indicia nulla supersunt nisi quibus apud quemvis scriptorem interpolator deprehendi solet. Quo de genere sunt maxime quod sententiae — quoniam iteratae a mente poëtae non prorsus alienae esse possunt — a proposito abhorrent et inconstantiam quandam patefacere videntur, aut quod simillimae vicinae sunt, ut altera alteri eam ipsam ob causam ascripta videatur esse. Quarum quidem haud paucae ne ad structuram quidem adaptatae sunt, ut magis errore eas illapsas quam consilio insertas esse probabile sit.

Fundamenta, quae confirmasse nobis videmur, sunt fere eadem quae Lachm. sibi posuit. Itaque repetitiones, quas ille ad has normas redactas recte seclusit, praetermitto easque afferre satis habeo, de quibus ei non videtur assentiendum esse.

V. V 1315

terrificas capitum quatientes undique cristas

= II 632 (momine cristas) ab aliis iam satis defensus est. cf. Neumannus l. l. 30. 31.

V. V 1345 = V 528

in variis mundis varia ratione creatis

et utrumque vicinum retinendos esse Vahlenus ostendit ind. l. pg. 18.

V. VI 228. 9 = I 489. 90

per septa domorum
clamor ut ac voces

et v. VI 933 = IV 229

cernere odorari licet et sentire sonare,

quos Lachm. non altero loco sed utroque pro suspectis habuit ita ut hunc utroque eiceret, illum in l. I commutaret: „clamor it ac voces“, Munro recte servare mihi videtur.

Vv. VI 56. 7 = 90. 1 = I 153. 4

quorum operum causas nulla ratione videre
possunt ac fieri divino numine rentur

Lachm. Bentleium secutus delevit priore loco libri VI, Munro etiam altero. Illo enim non modo non requiruntur, sed similis etiam antecedit sententia, ut paene inepta evadat tautologia: „ignorantia causarum cogit res ad imperium deorum conferre, quas divino numine fieri rentur“. Quo fit probabile antecedentibus eos tamquam similes appositos esse, praesertim cum maior etiam similitudo intersit inter hunc locum et eum qui est in libro I, unde sumpti videntur esse; conferamus enim

VI 50 sqq. quae fieri in terris caeloque tuentur | mortales . . .,
haec faciunt animos humilis formidine divom . . .
et I 151 ita formido mortalis continet . . .,
quod multa in terris fieri caeloque tuentur.

Vv. 90. 1 Lachm. censet substitutos esse antecedentibus 85—89, quos h. l. primitus scriptos postea maxima quidem ex parte post v. 382 collocatos esse suspicatur. Ab hac sententia non recedere videntur Munro Neumannus Gneissius, nisi quod ab interpolatore additos putant. At quoniam et ipsi 90. 1 et qui antecedunt quinque ad rem pertinent, Lachmanni sententia mihi videtur probabilior. Dubito tamen num illos versus omnes iuxta poni non potuisse recte statuerit. Priores enim dilatant sententiam antecedentem ita ut accuratius definiant quid canendum sit de fulminibus sive quae sint illa opera, quorum causas homines videre nequeunt. Si igitur omissis illis vv. 90. 1 bene excipiunt versum 84, servatis eis orationis ordo non videtur perturbari.

De vv. 383—85 = 87—89 cf. pg. 37.

Iam accedamus ad eas repetitiones, quae post Lachmanni demum aetatem in dubitationem vocatae sunt. Atque ut initium capiam ab eis, quae mihi minime videntur tentari posse, primum agam de eis, quae orationis vinculo cum ipso carmine colligatae sunt. Nec tamen in animo est omnes afferre res, ex quibus umquam suspicio ducta est; sed quae offensiones, etsi ab aliis excusatae sunt, revera exstant, eas apponam, si forte inde sedes primaria cuiusque versus erui possit.

Fere eadem igitur forma recurrunt vv. I 635. 6 = 705. 6
quapropter qui materiem rerum esse putarunt
ignem atque ex igni summam consistere solo
(706 consistere posse)
(Gneissius 29—32, Tohtius 546, Briegerus 202. 3).

Utroque loco hos versus genuinos esse iam Br. recte demonstravit. Respicere autem Lucretium [1]) in inferiore loco scribendo superiorem ita ut ille quasi clausulam argumentationis contineat, mihi non persuasit. Nam transitio inferioris loci pertinet non ad

1) velut I 907 respicere videtur vv. I 817 sqq.

Heraclitum tantum et qui praeter eum ignem materiem rerum esse voluerunt, sed etiam ad alios philosophos, de quibus antea non dicitur: „quapropter qui materiem rerum ignem esse putarunt, . . et qui aëra constituerunt principium, aut qui umorem putarunt res fingere . . . a vero derrasse videntur". In Tohtii vero inclino sententiam, qui vv. 635—704 postea insertos esse censet, atque Lucretium crediderim in retractando carmine vv. 705 sqq. aliter (in hunc fortasse modum: quoniam qui ignem constituerunt principium, demonstravi errasse, etiam ceteros, qui umorem aëra . . posuerunt, lapsos esse expediam) cum antecedentibus coniuncturum et vv. 782—802, qui ad Heracliti dogma redeunt, fuisse mutaturum. — Hac ratione satis explicatur qui factum sit, ut parvo interiecto intervallo hi versus repeterentur.

Non maius spatium intercedit inter vv. II 478. 9 et 522. 3

quod quoniam docui pergam conectere rem quae
ex hoc apta fidem ducat, primordia rerum . .
(Gn. 23, To. 545, Br. 202).

Fere omnes consentiunt eos inferiori loco accommodatos esse, quoniam inde quod formae primordiorum finitae numero sint (478—521), consequens sit sive fidem ducat similia primordia esse infinita (522 sqq.), superiore autem loco eos esse ineptos, quia ex antecedenti parte, qua probatur primordiorum figuras esse multigenas, non recte efficiatur figurarum numerum esse finitum. At si accuratius rem perpendimus, non ideo quod primordiorum formae numero finitae sunt, similia sunt infinita, sed quamquam distantia formarum finita est, similia (tamen) infinita sunt, aut (denn sonst) summa materiae finita constaret, sive: primordia similia sunt numero infinita — quandoquidem summa omnium infinita est — nisi varietates infinitae sunt i. e. si distantia formarum finita est. Quod si probatur, non colligitur ex antecedentibus primordia eiusdem formae esse infinita, sed infinita sunt, quia, si non essent, summa materiae finita constaret (527. 8). Unde consequitur versus, de quibus dicimus, ne priore quidem loco debere significare „effici sequentia ex antecedentibus", sed posse valere „apte conecti sequ. cum anteced.". Hoc modo si interpreteris, molesti non videntur. Nam cum sententia, quae antea probatur „quam multigenae sint formae atomorum", apte conectitur haec: „(sed) varietatum numerus non est infinitus" [1]).

---

1) Ita non opus videtur ponere ante v. 478 intercidisse hoc argumentum „dass es eine Grenze für die Grösse der Atome gebe", qua suspicione Br. illos versus etiam aliter intellectos superiore loco acute defendere studet. Antecedit quidem hoc argumentum (cf. 499: corpora immani maximitate esse non posse iam supra docui); sed proxime id

Non voluisse Lucretium hos versus tam parvo intervallo iterum ponere Lachm. iam ostendit, cum vv. 522—28 tamquam emblema uncis includeret. Apparet enim eos non uno tenore cum sqq. 529—31 scriptos esse; quibus aptiorem transitionem continent, quoniam „generum singulorum (primordiorum) significatio praeteriri non debuit". Non quidem integra est haec inferior transitio; incohatur enim a verbis „versibus ostendam" 529. Itaque Bernaysium secutus credo antea unum vel plures versus excidisse, huic autem transitioni — id quod Lachm. fere voluit — postea substitutos esse vv. 522—28. Qua ratione repetitio versuum, de quibus agimus, satis excusatur.

Verba autem versuum IV 246. 7 et IV 280. 1

protrudit agitque
aëra qui inter se cumque est oculosque locatus,
(Gn. 80, Br. 207).

quamquam etiam minore intervallo iterantur, tamen non videtur probabile futurum fuisse ut umquam altero loco mutarentur. Tota enim pars, in qua exstant, sine intercapedine conscripta videtur. Versus vero omnes inde a 269 ad 291 quo iure Gn. tentet, et ipse persentiscit et a Briegero recte monstratur. Sed de verbis „quod genus" 271, quae Gneissio aliter ac soleant posita videntur, pauca addere liceat. Credo enim totam comparationem, quae a v. 271 quod genus . . pertinet ad v. 278 transpiciuntur, trahendam esse ad sequentia, ut „quod genus" 271 et „sic" 279 inter se respondeant. Etenim id quod exponendum est „cur ultra speculum conspiciatur imago" illustratur exemplo rerum, quae foris per ianuam transpiciuntur. Verba autem „is quoque enim visus duplici fit aëre" 274 sumunt id ipsum tamquam exploratum, quod expediendum est sc. causam cur illud fiat esse duplicem aërem. Quod cum non antecedat sed sequatur, comparatio ad sequentia tendere statuenda est ita ut illa parenthesis, quam puto esse verba „is quoque enim — transpiciuntur" 274—78, eam ipsam sive excuset sive comprobet. Huic interpretationi non obest quod prius comparationis membrum (quod genus . .) non plene effertur. Nam haec licentia per omnem patet latinitatem. Ne illud quidem molestum erit quod nullo orationis vinculo cum antecedentibus iungitur, siquidem animadverteris ab ea ordiri ipsam explicationem; cf. III 1060 exit saepe . . IV 387 qua vehimur navi . . V 200 principio quantum . .,

---

antecedere verbis „iam rursum" (481) — quae non interpretor „zum 2. Mal", sed „ita ut superior aliqua argumentatio perturbetur" sive „rursus resolvatur", cf. I 660 nec rursum cernunt exempto rebus inani omnia denseri — non indicatur; monstrari autem videntur voce „supra" 499 vv. I 615 sqq.

IV 1097 ut bibere . . sic (1101). — Nec tamen dissimulo exemplum verbis „quod genus" introductum saepius etiam recte ad antecedentia trahi; interdum enim res illustranda antea tantum memoratur, aut denuo excepta introducitur particulis „sic igitur" (cf. VI 890 quod genus . . 895 sic igitur . .); quamquam fit ut addatur „igitur", etiamsi comparatio ad sequentia spectat, velut IV 513 denique ut in fabrica . . 520 sic igitur. Sed exstant praeter eum de quo agimus alii loci, quorum elegantia et concinnitas illa responsione, quam commendavi, valde videtur augeri: III 266 sqq. (quatuor illa elementa animi quasi multae vis unius corporis exstant).

quod genus in quovis animantum viscere volgo
est odor et quidam calor et sapor, et tamen ex his
omnibus est unum perfectum corporis augmen:
sic calor atque aër et venti caeca potestas
mixta creant unam naturam . .

III 327 sqq. (corpus et animus communibus inter se radicibus haerent nec sine pernicie divelli posse videntur).

quod genus e thuris glaebis evellere odorem
haud facile est, quin intereat natura quoque eius:
sic animi atque animae naturam corpore toto
extrahere haud facile est quin omnia dissolvantur.

H. l. illi quam indicavi oppositioni ipsorum membrorum similitudo videtur favere. — Languida prorsus est III 276 sqq. triplex collatio, nisi membrum „quod genus . ." ad sequentia vocatur: (quarta illa natura animae nominis expers prorsum latet . . atque anima est animae proporro totius ipsa).

quod genus in nostris membris et corpore toto
mixta latens animi vis est animaeque potestas,
corporibus quia de parvis paucisque creatast:
sic tibi nominis haec expers vis facta minutis
corporibus, latet atque animae quasi totius ipsa
proporrost anima et dominatur corpore toto.
consimili ratione necessest ventus et aër
et calor inter se vigeant commixta per artus.

Sed utcumque de his locis iudicabitur, de eo, unde profecti sumus, nulla opinor erit dubitatio.

Ut verba, de quibus diximus, ita neque vv. V 266. 7 = V 388. 9

verrentes aequora venti
diminuunt radiisque retexens aetherius sol

neque vv. V 269—72 = VI 635—38

percolatur enim virus, retroque remanat
materies umoris et ad caput amnibus omnis

convenit, inde super terras fluit agmine dulci,
qua via secta semel liquido pede detulit undas
(Gn. 39 sqq., To. 547, Br. 203)

seorsum possunt tolli. Iterum Gn. eo confugit, ut maiorem partem, quacum conexi sunt (vv. V 235—323), interpolatam esse contendat. Argumenta tamen, in quibus nititur, a Tohtio satis confutata sunt, neque quidquam addam nisi inferiores quidem versus in l. V vel primitus mihi videri scriptos esse. In hoc enim libro apte eis illustratur maria continuo *crescere et imminui*, in l. VI autem, ubi id unum explicatur (inde a v. 608) cur maria decursu aquarum *non adaugescant*, verba „inde super terras fluit agmine dulci, qua via secta semel liquido pede detulit undas" certe non requiruntur. Quamquam ex hac dilatatione non plus collegerim quam quod ad locum primarium pertinet. — Moneo Lachmannum vv. VI 608—38 embolium esse censuisse.

Iam venimus ad repetitiones, quae orationis forma minus defenduntur, aut altero utro tantum loco, itaque per se solae addubitatae sunt.

vv. VI 251—54 = IV 170—73

tum per totum concrescunt aëra nubes
251 undique [1]), uti tenebras omnis Acherunta reamur (in IV rearis)
liquisse et magnas caeli complesse cavernas.
usque adeo tetra nimborum nocte coorta
254 impendent atrae formidinis ora superne,
cum commoliri tempestas fulmina coeptat.

De his fere omnes assentiuntur Bockemuellero in l. VI eos delenti, quia particulae „tum" 250 et „cum" 255 inter se respondentes eis divellantur. Quam quidem offensionem Munro eo removit quod vv. 253. 4 tamquam structurae liberius interpositos a ceteris seclusit. Sed haec periodus minus elegans videtur; itaque in distinguendis sententiis Lachmannum sequi malim. Iam quidem non exstat quo tendat illud „tum"; sed quis non sponte intelleget — quae sententia v. 255 exprimitur — „tum cum tempestas fulmina mittit"? Certe quoniam vi quadam effertur fulmina e crassis alteque extructis nubibus gigni, non ex leviter densis, versus, qui depingunt quantum dispandantur nubes tempestate coorta, a loco alieni minime videntur. Sed in l. IV primitus eos existimo scriptos esse. Nam quamquam non minus opportune ita dicitur in l. VI: nubes *concrescunt* undique, ut omnes tenebras Acherunta *liquisse* reamur, quam in IV: subito tempestas *fit* turbida foede, ut tenebras Acherunta *liquisse* rearis, tamen recte videtur Munro Lachmanni sententiam repudiare, qui vv. IV 168—75 et 179 postea insertos esse credidit.

---

1) ita Bockemuellerus verba recte videtur iungere.

I 76. 7 = 595. 6 = V 89. 90 = VI 65. 6
V 82—90 = VI 58—66
(Gn. 62 sqq., To. 551, Br. 206).

I 75—77 (unde refert nobis) quid possit oriri,
quid nequeat, finita potestas denique cuique
qua nam sit ratione atque alte terminus haerens.

Hos vv. Gn. ideo potissimum tentavit quod „deesse possint". At qui Lucr. ita dicere potuit: „nos exaequat victoria caelo" 79, nisi antecedunt „refert nobis victor quid . . ."?

Altero quoque loco libri I

594—6 (incertum quoque iam constet) quid possit oriri . . .

Gn. censet eos eiciendos esse et in sq. v. „non" pro „nec" reponendum, quia et sqq. vv. et antecedentes pertineant ad genera, quae suam semper retineant naturam, in illis autem agatur de singulis rebus. Sed ne haec quidem ratiocinatio mihi probatur; quid autem ipse iudicem apparebit, si nexum sententiarum paucis exposuero:

quoniam rebus generatim finis reddita est crescendi et vivendi
et constat quid quaeque (res dicit, non genera) queant per foedera naturae (haec foedera potius significant genus)
et omnia sibi constant adeo ut (e. g.) variae aves generales maculas in corpore ostendant,
omnes res immutabilia primordia habere debent. Nam si haec commutari possent, incertum constet,
quid omnino possit oriri et quid nequeat,
quae cuique potestas finita sit et qui terminus,
nec totiens possent saecla naturam . . . referre parentum.

Profecto concinnitas orationis valde imminueretur, si tribus prioribus membris ultimum tantum responderet. — Languida quidem est tota argumentationis altera pars, quae fere nihil novi adfert, (forma eius enim est haec: quoniam a b c sunt, est etiam d; nam nisi d esset, non essent a b c). At singula membra non plane inter se concinunt — molestius etiam videretur ut dixi si unum tribus opponeretur — neque omnino talis verbositas a Lucretio aliena est (cf. e. g. I 813 sqq. a certis rebus alimur nos, certis omnes res; nimirum, quia multarum rerum primordia in rebus mixta sunt, ideo variis variae res rebus aluntur). — Displicet porro discrepantia temporum: 593 possent, 594—6 constet possit nequeat sit, 597 possent. Munro quidem ei ita occurrit ut utrumque illud „possent" corrigeret in „possint"; Br. autem eam altero mutato mitigare studuit. Quae medicamina quamquam non longe arcessuntur, tamen et dubia et supervacanea mihi videntur. Nam — ut taceam de mira librorum memoria — tps. praesens in vv. 594—6 non abhorret ab usu Lucretiano (cf. Br. l. l.). Quocirca varietatem excusare malim eo quod

poëtam certam illam versuum formam mente tenuisse existimo. Idem nec tamen amplius quidquam velim colligi ex hoc loquendi modo: „incertum constet, qua ratione sit finita potestas atque alte terminus haerens“, cum dicendum esset: „incerta sit potestas neque ullus exstet terminus“.

Antecedunt hos versus in libris V. et VI. vv.

(V 82) VI 58 nam bene qui didicere deos securum agere aevom
si tamen interea mirantur qua ratione
quaeque geri possint, praesertim rebus in illis
quae supera caput aetheriis cernuntur in oris,
rursus in antiquas referuntur religionis,
et dominos acris adsciscunt, omnia posse
quos miseri credunt, ignari quid queat esse,
quid nequeat . . .

Gn. cum eos in l. VI. probante Tohtio interpolatos esse contendit, eo potissimum nititur quod servatis eis „quo m a g i s“ v. 67 non idoneum sensum praebeat. At natura animi confirmatur eum qui deos nihil agere — ut Epicureorum in modum loquar — doctrina persuasum habet, si quid mirum accidat cuius rei causam non videt, non relabi modo in religionem sed magis etiam deorum fide religari „caecaque ratione errare“. Conferri potest cum hac sententia ea quae est apud Lucr. in VI 601 sqq.: (metuunt homines ne natura terrae cavernas dissolvat . . . proinde licet) quamvis caelum terramque aeternae saluti mandata esse reantur, tamen interdum vis ipsa pericli adhuc stimulum timoris subdit. Molestia igitur illi vv. vacant; immo exclusis eis pronomen „quae“ in 68 ineptum est, cum iam evadat sententia (cf. Br.): nisi respuis ex animo longeque remittis putare res, quae in terris caeloque fiunt; si tamen conservantur, quivis facile ex eis petet quo illud pronomen referat sc. haec: (nisi remittis putare) deos esse acris dominos et perficere omnia. Quae cum ita sint, retinebimus eos in l. VI, quamquam in l. V primitus eos positos esse non est quod negemus.

I 817—19 = I 908—10 = II 760—62 = II 1007—9
(Gn. 57 sqq.)

atque eadem magni refert primordia saepe,
cum quibus et quali positura contineantur
et quos inter se dent motus accipiantque.

Gneissio eos vv. primo loco deleri iubenti adeo non assentior ut necessario eos requiri existimem. Quod ut probem, subicio sententias ut mihi progredi videntur: omnes animantes sui quamque generis primordia alunt; atqui idem cibus diversas alit animantes; ergo idem cibus e diversarum animantium primordiis constat. Saepe tamen vel eadem primordia diversas res constituunt (sc. motu positura . . .). Haec sententia si abest, non possunt intellegi quae sequuntur: (820) namque eadem

caelum mare terras flumina solem constituunt cett. Haec enim exemplum continent ad confirmandam antecedentem sententiam, qua sublata illud in suspenso foret. Simul elucet e nexu, quem indicavi, Gneissium non recte videri exspectare „semper“ in v. 817 pro eo quod exstat „saepe“ neque hoc ita defendendum esse ut Br. facit (Burs. Jahresb. 1876 II 171) „aliquid refert semper, magni refert saepe“, sed ita ut urgeatur pronomen „eadem“: saepe vel eadem primordia . . . diversas res constituunt. Antea enim agitur de diversis primordiis, non de eisdem, ut non liceat extolli: saepe *magni* refert, primordia . . . Quod perspicies, si vv. 813 sqq. ita interpreteris: certis ab rebus aluntur diversae animantes, nimirum, quia *etsi* multa communia sunt rebus, *tamen multarum* — diversarum — rerum primordia in rebus mixta sunt . . . Quoniam vv. 817—19 non modo non pugnant cum sqq. 820—22 — ut Gneissio videbantur — sed hi illis sublatis omnino stare non possunt, ad rem nihil facit si forte minus late patent in l. II (1007—9), ubi formas colores sensus motu . . . primordiorum effici illustratur, non id quod in l. I „diversas *res* procreari motu . . . eorundem primordiorum“.

Inferiore loco libri I Gn. non illos vv. solos, sed omnes inde a v. 907 ad v. 914 eliminandos esse iudicat:

907 iamne vides igitur paulo quod diximus ante
permagni referre eadem primordia saepe,
cum quibus et quali positura contineantur
910 et quos inter se dent motus accipiantque
atque eadem paulo inter se mutata creare
ignes et lignum? quo pacto verba quoque ipsa
inter se paulo mutatis sunt elementis,
cum „ligna“ atque „ignes“ distincta voce notemus.

Negat enim Lucretium credere ignem et lignum ex eisdem elementis constare, quoniam vel aetherium ignem et terrestrem discernat. Negat igitur exstare quae his versibus (cf. iamne vides igitur quae paulo diximus ante) comprehendi videntur. At v. 902 diserte dicitur ardoris elementa latere in ligno. Omnia ligni et ignis elementa eadem esse non contenditur (cf. 909 cum quibus contineantur); immo ne hoc intellegamus prohibemur exemplo verborum „ligni“ et „ignis“, quorum elementa ne ipsa quidem omnia eadem sunt, sed „paulo inter se mutata“ i. e. ex parte quidem diversa. Quod si ita est, vv. quod removeantur causa non exstat.

Vv. II 760—62 cum antecedentibus ita conexi sunt: si primordia nullo colore praedita sunt et variant colores

propterea (codd.: praeterea) magni quod refert semina quaeque
cum quibus et quali positura contineantur
et quos inter se dent motus accipiantque,

perfacile extemplo rationem reddere possis, cur et q. sq. Propter sententiam ne hoc quidem loco mihi videntur molesti. Nam quod Gn. contendit „ad colores variandos non motuum primordiorum referre, sed formae et ordinis eorum" — praeterquam quod hoc subtilius excogitatum est, quoniam colores, si mutato ordine primordiorum variantur, horum motu variari dici licet — refellitur ipso exemplo, quo utitur Lucr. sc. quod mare ventis commotum albescat (cf. 766). Hoc autem exemplum ita cum antecedentibus iungitur ut ex eis fidem ducat (757—71 si primordia variant colores rerum propterea quod . . ., perfacile rationem reddere possis, cur e. g. ea quae nigra sunt repente candida fiant). Liceat ipsam apponere explicationem: dicere possis — inquit — nigrum quod videmus, si materies permiscetur et ordo principiorum mutatur et quaedam adduntur atque demuntur, continuo fieri ut candens albumque videatur. Quis quaeso „perfacile extemplo" rem ita sibi mente informare possit, si tantummodo dictum est primordia ipsa nullo colore praedita variare colores ex ipsorum variis formis (757—59)? Immo si scis magni referre ad variandos colores, semina *cum quibus* et *quali positura* contineantur et *quos motus* inter se dent accipiantque, tum poteris suspicari mare nigrum fieri candens, quia *materies permisceatur* et ordo *principiorum mutetur* et quaedam *addantur atque demantur*. Quae si probantur, vv. de quibus dicimus, a loco non alieni videntur. Quod quoniam evicimus, non dissimulamus eos non prorsus vituperatione carere. Nam non variantur colores propterea quod magni *refert*, semina cum quibus . . . contineantur, sed eo quod certa quaedam cum his aut illis *continentur*. Haec tamen orationis iniquitas poëtam facile fugere potuit, si illos vv. memoria tenebat; neque omnino maior est quam ea quod dicitur e. g. I 503 sqq. quoniam duplex natura rerum dissimilis constare *repertast*, *esse* utramque sibi per se puramque necessest. IV 239 *nunc* ea quae dico rerum simulacra *feruntur* undique . . ., quae sententia efferenda erat ad exemplum versuum IV 673. 4 (nunc age . . . agam) sive IV 110. 11 (nunc age . . . percipe). — Ergo hoc quoque loco illos vv. tuebimur; sed quoniam primo quo exstant difficultates non praebent, ibi primitus videntur positi, nec vero — id quod Gn. putat — e vv. II 1007—9 deprompti.

I 820. 21 fere = II 1015. 16
I 823—26 = II 688—91
692. 94 = II 336. 7 = 723. 4
725. 6 = IV 649. 50
(Gn. 51 sqq., To. 550, Br. 205). = V 441. 2 = I 633. 4.

Democritus ut probaret res mutari τάξει et θέσει primordiorum, oriri autem et interire eorum συγκρίσει et διακρίσει, exemplo

usus est literarum, quae et comoediam constituerent et tragoediam (Aristot. de gen. et corr. 315, 2 Bekk.). Ei igitur erat totum corpus literarum summa parium elementorum. Aliter Lucretio; qui ubicumque exemplo literarum utitur, singulas literas vult esse diversa elementa. I 912 sqq. enim dicit elementa nominum „ligni" et „ignis" *maxima ex parte* eadem esse; simili ratione I 823 sqq. multis verbis ait *multa* elementa esse communia et II 1013 sqq. elementa verborum *maxima ex parte* eadem esse. His locis explicat poëta eadem fere primordia efficere diversas res (velut lignum et ignem, caelum mare terras flumina solem atque fruges arbusta animantes) et diversas proprietates: formas colores sensus. Verumtamen omnes res docemur constare *permixto* semine. Gramina enim et flumina alia continent elementa quae ovibus, alia quae equis, alia quae vaccis conveniunt II 660 sqq. [1]). Atque haec quidem sententia discrepans quodammodo cum illa superiore, II 688 sqq. eodem literarum exemplo illustratur: versus ac verba ex diversis constant elementis — non quo haec omnia inter se differant, sed quia non omnia eadem sunt. — Non hoc exemplum displicet dupliciter usurpatum, verum sententiae eo illustratae merito mirabiles videntur. Nihilominus duobus locorum, quos citavi, suspectum habetur; in eos iam inquiramus.

II 1013—22
Quin etiam refert nostris in versibus ipsis
cum quibus et quali sint ordine quaeque locata.
namque eadem caelum mare terras flumina solem
significant eadem fruges arbusta animantis.
si non omnia sunt, at multo maxima pars est
consimilis: verum positura discrepitant res.
sic ipsis in rebus item iam materiai

---

1) Non igitur *eadem* elementa diverso motu positura cet. diversas res constituunt, sed „semina *ardoris* paulo inter se mutata creant ignes et lignum" (I 911) et „quaecumque igni cremantur, haec in corpore celant, unde ignem iacere et favillam mittere possint". II 672 sqq. cf. I 812 sq. alimur nos
certis ab rebus, certis aliae atque aliae res
cum II 874 sqq. *vertunt* se cunctae res:
vertunt se fluvii frondes et pabula laeta
in pecudes, vertunt pecudes in corpora nostra
naturam, et nostro de corpore saepe ferarum
augescunt vires . . .
ergo omnes natura cibos in corpora viva
vertit . . .
non alia longe ratione adque arida ligna
explicat in flammas et in ignis omnia versat.
Haec inconstantia latius patet. cf. pg. 39 sq.

1020 intervalla vias conexus pondera plagaes
concursus motus ordo positura figurae
cum permutantur, mutari res quoque debent.

Versum 1020 (= II 726), qui structurae officit, nemo negabit errore in textum immigrasse. Sed praeter eum Lachm. eiecit vv. 1015 et 16, qui verbo „significant" mutato in „constituunt" exstant I 820. 21. Accuratius sane dicere debuit poëta non *literas* significare diversas res sed voces (cf. Lachm. comm.); dubito tamen, num propter hanc iniquitatem versus recte exstirpentur, praesertim cum putari liceat eorum formam poëtae in memoria haesisse. Sed quoniam de hac re certo disceptari non queat, iam examinemus, num tota pars insiticia videatur. Br. de ea in annal. philol. a. 1875 pg. 623 accuratius disputans castigat obscuritatem quae sit quod in vv. 1014 sqq. (quaeque 1014, eadem 1015 et 1016) significentur elementa, inde a v. 1017 (omnia, maxima pars) complexiones elementorum. Concedo illud, hoc nego. Nihil quidem refert, num literae consimiles sint, sed num sint eaedem. Nec vero quaeritur — ut dicam in re satis impedita quam possum maxime definite — utrum illa octo verba (caelum mare terras flumina solem fruges arbusta animantes) omnia an ex parte — fortasse sex — inter se similia sint [1]). Sed sententia est haec: in illis octo verbis etsi non omnia elementa *eadem* sunt, at plurima sunt *eadem*. Verba igitur quae sunt „si non omnia sunt, at multo maxima pars est consimilis" ita interpretor: elementa cuiusvis illorum octo verborum maxima ex parte sunt eadem atque in quovis alio eorum, sive: maxima *pars* elementorum est *consimilis* vel potius maximae *partes* illorum octo verborum sunt *consimiles*. Quod *pars* altera alteri *consimilis* dicitur, nihil habet offensionis. Sed ex notione „partis" facile „totius" sive „summae" notio cogitatur, qua comprehenduntur „omnia", ita: si non tota *summa* elementorum, ex quibus illa octo verba constant, at maxima *pars* consimilis est. Sed recte etiam et facili opera ex voce „consimilis", quae ad „partem" tantum quadrat, petitur notio „perfectae aequalitatis" quae ad „omnia" pertineat, ita: si non omnia elementa *eadem* sunt, at multo maxima *pars* est consimilis. Quae qui probaverit, in voce „consimilis" non haerebit. — Sed negatur illorum verborum plurimas literas easdem esse (cf. Neumannus 51, Gn. l. l.). Sane sunt haec verba meo iudicio vel instar omnium. Absurdum hoc videbitur. At quo iure Lucr. I 821 sqq. dicit primordia frugum arbustorum animantum esse fere eadem, quas inter res II 660—79

1) Ita Br. qui negat „quaeque" et „omnia" easdem res significare; „quaeque" enim intellegit elementa, „omnia" autem complexiones literarum sive verba i. e. illa octo quae enumerantur.

docet quanta distantia elementorum intersit, eodem iure h. l. fere eadem primordia colores formas sensus creare ita potuit explicare ut diceret fere easdem literas constituere diversa verba (velut caelum mare . . . fruges arbusta . . .), quamquam non omnes eaedem sunt, immo ne maxima quidem pars, sed quia non omnes diversae sunt sive multae quidem multis verbis communes. — Levius mihi videtur quod v. 1018 „res“ valet i. q. „voces“. Nam si I 420 et 449. 50 (duabus rebus i. e. corpori et inani) „inane“ recte „res“ nominatur, h. l. non offendemus, praesertim cum nemini obscurum sit quid significetur. — Quae cum ita sint, non tamen nego horum versuum sententias minus diligenter elatas esse; sed cum respexerimus — (cf. pg. 7 sqq.), — quam mancum sit totum embolium, quod inde a v. 1013 pertinet ad v. 1104, atque exemplum literarum ab hoc loco non prorsus alienum esse, incommoda, quibus haec pars laborat, ipsi poëtae imputare non dubitabimus.

Iam transeamus ad vv. II 688—99, qui item a Gneissio idque probante Tohtio tentantur. Inter se pugnare dicit verba „multa elementa multis verbis communia sunt“ 689 et „alia ex aliis elementis constant“ 691, quoniam haec significent illis contrarium „nulla elementa communia esse verbis“. At diserte monet poëta 692—4 verba constare ex diversis elementis, non quo omnes literae diversae sint aut nulli verbo plures literae communes (?), sed quia non omnes eaedem sunt. Atque omnino tam insulsum videretur, ut ne interpolatori quidem probabiliter tribueres: multa elementa multis verbis communia sunt (689), tamen omnia sunt diversa (690. 91). — Accuratius quidem hae sententiae ita efferri poterant: multa elementa multis verbis communia sunt, cum tamen verba ipsa — i. e. summae elementorum — inter se differant sive inter se et re et sonitu distent (dicitur: . . . tamen verba inter se alia ex aliis elementis constant). Sed tolerabilis mihi videtur ista oratio. Nam ut demonstravi repugnantia non exstat. Immo sententia versus 689 denuo excipitur versibus 692—94; atque hos quidem, si abessent, minime requirerem. Sed in vv. 690. 91 praeterea verba „inter se“ parum accurate iunguntur cum verbis „alia ex aliis“. Haec autem offensio satis opinor excusatur eo quod poëtae in memoria haerebant vv. I 825. 6

. . . inter se versus ac verba necessest
confiteare (et re et sonitu distare sonanti).

In his non modo „inter se distare“ recte dicitur, sed reputemus totam sententiae conformationem esse eam, quae etiam ei de quo agimus loco maxime convenire videtur. Nonne igitur inde quod non est recepta quam luculentissime apparet ne inspectum

quidem esse a Lucretio illum locum, nedum ab interpolatore exscriptum? Verbo liceat adnotare vv. 698. 9 non dici — id quod Gn. credit — hominum frugum arbustorum semina prorsus omnia inter se diversa esse, sed negari tantummodo omnia esse paria, ut summa merito diversa feratur. In eundem modum accipio v. 694, nec aliter v. II 337, cuius haec est sententia: primordia distant formis, non quo nullae formae similes sint, sed quia non omnes pares sunt. Quam enim Gn. eruit sententiam „non quo haud multa similia sunt, sed quia nulla res alteri prorsus par est", pugnat cum poëtae doctrina, qua atomi eiusdem formae numero infinitae sunt.

Vv. II 336. 7 recurrunt II 723. 4; qui Gneissio Tohtio Briegero sententiarum nexum interrumpere videntur. Sed si mentem poëtae recte perspicio, sententiae sine salebris ita currunt: Sicut res genitae tota natura inter se dissimiles sunt e. g. terra mare animalia, ita primordia earum diversa forma praedita sunt (720—22), non quidem omnia differunt, sed non omnia sunt paria (723. 4). Porro cum primordia distent, etiam intervalla viae (i. e. canales) [1] . . . motus differunt (725 sqq.). — De ratione autem, qua cohaeret tota pars 718—29, quae a Gneissio tentatur, cum antecedentibus, longe aliter sentio atque interpretes omnes. Utrum recte an minus alii viderint. Exponam quae mihi videantur:

— 699: res permixto semine constant.
700—717: non tamen omnia semina omnimodis possunt conecti. Nam portenta existerent, ex diversis partibus composita. Quod non fieri manifestum est. Animalia enim suum servant genus.
718 sqq.: sed non animalia solum certis finibus discernuntur.

Iam haec sequuntur in libris:

. . quaedam ratio disterminat omnis.

Quae verba alii aliter vel intellexerunt vel mutaverunt. Plerique Bernaysium secuti flagitarunt sententiam:

eadem ratio distinet omnia sive omne. At „primordia fere eadem caelum mare terras flumina solem constituunt, eadem fruges arbusta animantes" I 820. Ergo non eadem ratio et animalia et ceteras res distinet, sed „quaedam ratio disterminat omnia" (cf. II 373 quaedam distantia). — Ne tamen in forma mendum relinquatur, corrigamus cum Lambino — qui quidem „eadem" scripturam corruptam non repudiavit —

quaedam ratio res terminat omnis.

---

1) cf. IV 655 ut figurae et motus et textura differunt, ita distant foramina et viae.

Versibus II 725—7
semina cum porro distent differre necessust
intervalla vias conexus pondera plagas
concursus motus
similes sunt vv. IV 649. 50
semina cum porro distent, differre necessest
intervalla vias(que) . .
V 441. 2
intervalla vias conexus pondera plagas
concursus motus . .
I 633. 4
. . conexus pondera plagas
concursus motus . . ,
qui quin integri sint nemo erit qui dubitet.

I 919. 20 = II 976. 7
fiet uti risu tremulo concussa cachinnent
et lacrimis salsis umectent ora genasque
(II 976 scilicet et . . . cachinnant
. . lacrimis spargunt rorantibus . .)

Hi vv., qui in l. I tentati sunt, cum Briegeri interpretatione (Burs. Jahresb. 1876, II, 175) satis defendantur, in eis non oportet longius versemur. Ac ne id quidem pro certo posuerim ibi eos non primitus scriptos esse.

I 1079. 80 = II 236. 7
nec quod inane autem est ulli subsistere debet,
quin, sua quod natura petit, concedere pergat.
(II 236 tempore inane potest vacuum subsistere rei).
(Gn. 75, To. 551, Br. 207).

Sententiam non alienam esse in l. I, ubi Gn. versus insiticios esse censet — To. hoc non negat, Br. eos vult retineri, quamvis displiceant — ut ostendam, paucis nexum explicabo: Res non in medium nituntur, nam in infinito nihil est medium, nec si iam sit,
(1072) possit ibi quicquam consistere nec magis esse
quam quavis alia longe regione diversa (remota),
(ita hi vv. fortasse restitui possunt); omnis enim locus sive medius sive non medius aeque concedere debet ponderibus, motu quocumque feruntur (ita scribendum videtur, cf. II 239 omnia debent per inane aeque ponderibus non aequis concita ferri) nec quisquam locus est, ubi corpora stare possint (1077. 8) sc. eo quod pondus amittant. neque autem (eo pondus amittere possunt quod inane subsistat, neque enim) inane ulli corpori subsistere debet (1079. 80). Haud igitur res ea quam exposui ratione cuppedine medii in concilium vehi possunt. — Hac interpretatione satis defendisse mihi videor vv. 1079. 80, qui ideo addubitati sunt quod

eis demonstretur „nulli corpori inane resistere“, non id quod demonstrandum sit „nullam inanis partem posse terrae resistere“, et quod verba „tali ratione“ (1081) commodum sensum non praebeant, nisi excipiant verba (1077. 8)

quo corpora cum venerunt,
ponderis amissa vi possint stare in inani.

Similiter „tali ratione“ positum est I 395, ac recte Stuerenburgius ita interpretatus est: „tali ratione ut illi existimant“. — Versus quos tractamus abesse posse non nego; at quis requirat duos antecedentes, si absint? Immo cum offensione careant, h. l. vel primitus scripti videntur.

V 1392—96 = II 29—33

1390 haec animos ollis . . iuvabant
cum satiate cibi: nam tum sunt carmina cordi.
1392 saepe itaque inter se prostrati in gramine molli
propter aquae rivom sub ramis arboris altae
non magnis opibus iucunde corpora habebant,
praesertim cum tempestas ridebat et anni
1396 tempora pingebant viridantis floribus herbas.
tum ioca, tum sermo, tum dulces esse cachinni
consuerant.

(Gn. 76, To. 551, Br. Burs. Jahresb. 1874—76, II 187).

His versibus in l. II mutatis verborum temporibus aevum in usum pauca poscere probatur, in l. V. depingitur vita primorum hominum. Tentat autem eos in l. V Neumannus l. l. pag. 22. 3, cui Gn. et To. assentiuntur, cum hac fere nitatur argumentatione: „Iucunde corpus habere“ (1394) significat „cibo corpus recreare“; sed cum antea (1391) dixerit Lucr. homines illos agrestes cantasse cum saturi essent, eos vv. 1392—96 denuo coenantes facit. Hoc ingratum est. At in verbis ipsis nihil de coena. Si vero in l. II eo pertineant, tamen in l. V eis alia sententia subesse possit (cf. pg. 12). Itaque interpretor „iucunde corpus habere“ — eundemque in modum „iucunde corpus curare“ II 31 — „sich wohl fühlen, sich gütlich thun“ [1]); neque igitur bis de coena dicitur.

Porro Neumannus haeret in verbis „*non magnis* opibus iucunde corpora habebant“, quoniam illis hominibus nullae opes

---

1) cf. Hor. ep. I 2, 29 in *cute curanda* plus aequo operata inventus,
cui pulchrum fuit in medios *dormire* dies et
ad strepitum citharae cessatum *ducere curam*.
I 4, 15 me pinguem et nitidum bene *curata cute* vises.
sat. II 5, 38 ire domum atque | *pelliculam curare* iube.
Hi vv. id quidem docent curare cutem, pelliculam (sive corpus) non hoc unum valere „cibo corpus recreare“.

fuerint. At si in gramine propter aquae rivum, nisi fallor non magnis opibus iucunde corpora habebant; ut clarius dicam: „opes" non videtur significare aurum et argentum; sed gramen et rivus cett. sunt non magnae illae opes. Difficultates igitur illi vv. non exhibent; sed iam ponamus eos abesse: quo igitur spectent particulae „tum" in v. 1397? Eodem eas referre, quo respicit antecedens „tum", et diversitate temporum prohibemur (tum sunt 1391, tum consuerant 1398), et omnino ineptum videatur. Immo saturos iuvabant carmina, nam tum i. e. post coenam sunt carmina cordi; sed cum iacerent in gramine propter aquae rivum, tum ioca sermo cachinni dulces esse consuerant. Deletis igitur illis versibus sententiae perturbarentur. — Molestia quidem, quam omissis eis „tum" particula in v. 1397 movet, facili opera a Gneissio tollitur eo quod etiam vv. 1390 et 91 expellere conatur. At cum hi per se boni sint neque alibi recurrant, quantula id faciat probabilitate patet. — Nec vero modo genuini mihi videntur illi vv., sed etiam ante eos scripti, qui exstant in l. II. Nam etsi nondum constat, num exordia postea addita sint, tamen in l. II non antecedit quo respiciat v. „prostrati" 29, quod in l. V refertur ad v. „ollis" 1390. Praeterea particulis „cum tamen" (während doch, da doch) alibi oppositio aliqua introduci solet (cf. IV 718), vv. igitur II 29 sqq. hac tantum ratione cum antecedentibus apte iungi potuerunt: student homines opibus, ut aurea simulacra in aedibus suis videant, ut domum auro argentoque ornent cett.; cum tamen prostrati in gramine . . iucunde corpus habere possint.

II 177—81 ≐ V 195—99

nam quamvis rerum ignorem primordia quae sint,
hoc tamen ex ipsis caeli rationibus ausim
confirmare aliisque ex rebus reddere multis
nequaquam nobis divinitus esse creatam
naturam mundi: tanta stat praedita culpa.

(V 195 quod si iam rerum, 198 esse paratam, 199 naturam rerum).

(Gn. 32, Br. 203).

In l. II hos vv. Gn. tolli iubet una cum v. 183, ut pars carminis, quae inchoatur a. v. 167, ita concludatur:

176 magnopere a vera lapsi ratione videntur.
182 quae tibi posterius Memmi faciemus aperta.

V. 183 tentatur propter illud „nunc", quod apud Lucr. non usurpetur nisi in initio novae disputationis. At h. l. cum respondeat antecedenti „posterius" — id quod iam Br. sensit — minus orationis coniunctio quam particula temporalis est. Praeterea deleto illo versu nemo non opponeret haec: posterius faciemus paerta, nunc locus est . . 184. Luce autem clarius est versu 184

excipi versum 164 (cf. in his rebus 184). Ergo v. 183 retinendus est. Quod iam duo vicini vv. ab eadem vocula ordiuntur, eo quod vv. 165—83 postea inserti sunt, satis excusatur, si omnino excusatione eget apud Lucr., qui IV 1121 et 22 ab „adde quod" et VI 611 et 13 ab „adde" incipit. — Antecedentes autem vv. Gn. suspectos habet, quia improbabile sit Lucretium fateri se ignorare, quae sint primordia. At hoc non fatetur. Nam „quamvis ignorem" non valet „obschon ich nicht kenne", sed „lass mich so unwissend sein wie du willst" — ut iam Br. vertit (Bursians Jahresb. 1874—76 II 64); — est igitur idem — ut in l. V. „quodsi ignorem" — quod „etiamsi ignorem", non quod „etiamsi ignoro". Nec vero Br. hanc sententiam verbis subesse posse satis commodo probavit exemplo. Nam Cicero cum ep. ad Att. 12, 37, 2 ita dicit: „quamvis prudens ad cogitandum sis, sicut es, tamen . ." concedit Atticum prudentem esse; hoc autem loco Lucr. non concedit se ignorare . . . Sed nisi fallor Lucr. ipse idoneum exemplum ministrat. Etenim I 398 sq. (quamvis causando multa moreris, tamen . . necessest) non vult intellegi: „multa causando moraris; tamen . . necessest" sed „etiamsi permulta causando moreris, tamen . ." (cf. Hor. od. IV, 2, 39: nihil maius . . fata donavere . . nec dabunt, quamvis redeant in aurum tempora priscum). — Porro Gn. censet servatis illis versibus pro „quae" 182 exspectari „quod", quoniam referendum sit ad hoc unum: „naturam culpa praeditam esse"; eiectis vero „quae" excipere pluralem numerum „quorum" 174. At primum hoc „quorum" respicit ad „humanum genus (velut dixit L. „pars vexantur" II 99, „propago instant" IV 998); deinde sublatis illis versibus quis non referret „quae" ad antecedentem sententiam: „magnopere lapsi videntur"? Profecto iam pluralis offenderet. Si vero omnino alio referri posset, non exponeretur, cur tandem illi lapsi viderentur (cf. Br. l. l.). Ergo ne tota haec pars imperfecta sit, vv. intacti maneant oportet. Pluralis autem „quae" iam facile revocatur ad ea, quae ex caeli rationibus aliisque ex rebus peti licet, ut demonstretur mundum non divinitus creatum esse. Utrum tamen locum illi vv. primitus occuparint, ideo difficile est disceptare quod Lachmanno iudice utrobique in emblemate exstant. Neque inde quod II 182 voce „posterius" monstratur locus libri V, colligi licet hunc inferiorem locum etiam postea compositum esse; ac tamen hoc probabile mihi videtur. Nam in l. II hi vv. optime ita cum antecedentibus nectuntur: sunt qui ignorent naturam materiae [1]) itaque mundum

---

1) Iungo enim verba versuum II 167. 8 ut Creechius: at quidam contra haec ignari (= stolidi) materiai naturam (= materiam) non posse . . rentur . . tempora mutare annorum. Nam de materia agitur,

opinentur divinitus esse creatum. sed quamvis ignorem primordia . . . , tamen (non idem atque illi concludo, sed) vel ex caeli rationibus . . . confirmare ausim mundum non divinitus creatum esse. In l. V autem hi vv. artiore vinculo cum antecedentibus iungi non videntur, cum non agatur de eo quod quis ignoret. . . Itaque verisimile est poëtam eos mutuatum esse ex l. II.

III 784—97 = V 128—41.
(III 784 denique, V 128 sicut; III 797 durare genique, V 141 formamque animalem). (Gn. 35 sqq., To. 546 sq.; Br. 203 et Bursians Jahresb. 1874—76 II 186).
Ut in aethere non arbor, in mari non nubes . . esse queunt, ita anima non nisi in corpore animali esse potest; non modo extra totum corpus esse non potest, sed vel in certa parte sc. in pectore debet esse. — His sententiis, quas Neumannus et Gn. prorsus aliter acceperunt, in l. III confutatur doctrina de migratione animi; in l. V eis demonstratur coelestia corpora non animata esse — sc. quia animus non extra animalem formam esse possit. — In l. III id argumentum suum quasi tenere locum non est quod dicam, in l. V. mirum videtur, quia Plato e. g. mundi partes animatas esse voluit, quamquam eis non nervos et sanguinem tribuit. Nec licet negari tota parte (vv. 126—43) sublata incommodum non ita leve removeri. At de hoc nemo cogitavit. Nihil autem lucramur deletis tantummodo vv. 128—41; immo augeretur illud incommodum, quoniam summa argumentationis deesset, quae tamen nulla alia esse posset quam quae exstat. Nam cur putemus naturam animi consiliumque non posse esse cum quovis corpore (126. 7)? Nimirum quia non extra formam animalem esse possunt. — Sed qui vv. 128—41 in dubitationem vocarunt, Purmannus Pollius Reisackerus Goebelius, offendunt maxime in particula „sicut“ 128, quae sive ad sequentia trahatur sive ad antecedentia, molestiam moveat eo quod comparatio aut cum antecedentibus aut cum sequentibus minus conectatur. De qua re conferas quae disputavi ad „quod genus“ pg. 16 sq. Nam ut his verbis comparatio, quae saepe cum sequentibus artius cohaeret, etiam cum antecedentibus quodammodo iungitur, ita h. l. comparatio particula „sicut“ introducta quamquam ad sequentia tendit, tamen ab antecedentibus non plane divolsa videtur. Neque igitur ex hac re suspicionem repetere licebit.

Iam videamus, num altero loco hi vv. aut omnes aut etiam ex parte interpolati sint. Neumanno et Gneissio ibi molesti

---

non de natura; adde quod verbum „materiai“ ad v. „ignari“ relatum supervacaneum esset (cf. V 416 sqq. coniectus materiai fundavit . . solis cursus).

videntur, quia eorum argumentum antecedat in vv. III 615—23. At illo loco *probatur* animum in pectore, non in capite aliisve corporis membris gigni, hoc autem probatum argumentum *adhibetur* ad confutandam metempsychosin. — Ab eis non discrepare vv. 800—5, quibus per iocum negetur animam mortalem esse (ita Gn.) — potius equidem ipsos vv. 800—5, non antecedentes sustulissem —, ut appareat, horum summam verbo indicasse satis habeo: mortale cum aeterno iungere desipere est, atqui mortale corpus cum anima iunctum est, ergo *anima non est aeterna.* — (Similis quaedam argumentatio erui potest e vv. II 1010 sqq.: quae fluitant non penes aeterna corpora esse possunt, atqui corpora prima sunt aeterna, non igitur fluitantes colores penes ea esse possunt). — Sine gravioribus mutationibus illi vv. in l. III omnino non posse tolli mihi videntur. Itaque ibi eos primitus locum habuisse credo. Ac nescio an liceat conicere Lucretium in l. V in miram illam argumentandi viam devenisse, quia illius argumenti meminerit, quod in l. III ad aliam quidem rem adhibuit. Verbo adnotare licebit illos vv. in l. V non modo in posteriore libro sed etiam, si quidem Lachmannum sequimur, partem embolii esse.

Similiter homines docti in diversas discedunt sententias de vv. V 419—431

419—22 = I 1021—24
422—26 = V 187—91
428 = I 1026
429—31 = II 1061—63
(Gn. 72, To. 551, Br. 207).

Plerique enim Forbigerum secuti lectorem quendam censent eos in l. V ex singulis carminis partibus consarcinasse; Neumannus contra e l. V eos excerptos et in singulas partes translatos esse demonstrare studet; Br. denique poëtam ipsum iudicat eos in l. V postea inseruisse, sed postquam vv. 184—94 (ipsos quoque postea intextos) scripsisset, eos mutaturum fuisse. — Nos ut rem diiudicemus, primum singulas partes suo quamque loco, deinde totam complexionem tractabimus.

I 1021—24 et 26

nam certe neque consilio primordia rerum
ordine se suo quaeque sagaci mente locarunt
nec quos quaeque darent motus pepigere profecto,
sed quia multa modis multis mutata per omne
(ex infinito vexantur percita plagis)
omne genus motus et coetus experiundo
(tandem deveniunt in talis dispositura,
qualibus haec rerum consistit summa creata).

Antecedunt haec: Si in spatio infinito materies finita esset, mundus creari non potuisset. Nam primordia neque umquam in concilium compulsa coiissent nec possent in concilio morari. Huic argumentationi apte subiungitur quod primordia non consilio se suo loco locarunt. Nihilominus expellere eos vv. conantur Neumannus et Br. ideo potissimum quod, si verba „servata" 1029 et „coniecta" 1030 referrentur ad antecedens „rerum summa creata", absurda evaderet sententia „summam creatam et . . coniectam efficere ut amnes mare integrent, terra fetus novet . ." sive „summam creatam efficere summam creatam". At verba „haec summa creata efficit ut amnes mare integrent, terra novet fetus cet." non significant „summam creatam efficere summam creatam" sed „summam creatam sese conservare" (cf. 1037 amissa reparare) sive „continuare motus, in quos semel coniecta sit". Quodsi copiose exponitur qua ratione haec summa conservetur, non nisi concinnitate perturbata omittuntur versus, quibus docetur qua ratione creata sit. Ergo illos versus retinebimus.

Altera pars, vv. V 187—91, Neumanno ipsa quoque displicet, sed causas non affert huius iudicii. Itaque satis habeo dixisse eam ad nexum accommodatam esse, quoniam contineat quale specimen creandi natura dederit. At tota argumentatio inde a v. 181 confusa est. Ut enim probet Lucr. non ab deis creatos esse homines, unde, inquit, dis notities (simulacrorum) hominum insita est, ut eos facere possent? sed sequentia non iam ad deos, sed ad homines pertinent: quove modo est vis principiorum . . cognita (sc. nobis, non deis), si non ipsa natura specimen creandi dedit? scilicet hoc: ex infinito tempore primordia omnia quaecumque possent creare pertentarunt; ut non sit mirum (sc. nobis), si hunc quoque statum mundi effecerunt. Quodsi iam ignorem . . — Argumentatio ita potius instituenda erat: (Non dei homines crearunt, quoniam hoc neque ipsis profuit neque hominibus). Porro nonne natura specimen creandi dat, et nonne natura docet, quid possint primordia, nec vero dei? Ergo non dei sed natura homines creavit. Sed illa aberratio nescio an quodammodo excusetur, cum ponimus eos de quibus dixi versus animo poëtae in scribendo obversatos esse.

De vv. II 1061—63 cf. pg. 8 sq.

Iam transimus ad locum libri V (419—31), quo illae partes comprehenduntur. Videmus eas non laxe esse copulatas aut in centonem contaminatas, sed artissime una periodo devinctas, ut alia ex alia nexa et omnes inter se aptae colligataeque videantur. Exstant tamen salebrae quaedam, quae id quidem produnt versus si non omnes at ex parte quidem h. l. non primitus scriptos esse. Etenim in v. 422 „primordia rerum" supervacaneum est — id

quod Gn. monuit —; v. 428 quoque „omne genus coetus . . experiundo“ abesse possit, cum fere idem antecedat in vv. 425 sq. „primordia consuerunt omnimodis coire atque omnia pertemptare, quaecumque inter se congressa creare possent“. Sed propter has res nemo illos vv. pro spuriis habebit [1]). Quodsi Gn. particulam „tum“ 432 contendit spectare ad tempus, quo coniectus materiae terram caelum cett. fundarit i. e. ad vv. 416—18: ei assentior, dum ne inde concluderet versus, qui inter hos et illum intersunt (419—31), delendos esse. Nam in transcursu quasi confirmant revera coniectum materiae res creasse, ut illi relationi non officiant. Immo si v. 432 exciperet versum 418, non singula nomina ita repeterentur: exponam quibus modis coniectus materiae fundarit terram et caelum pontique profunda, solis lunai cursus. Hic neque tum solis rota cerni . . poterat nec magni sidera mundi nec mare nec caelum nec denique terra . .“, sed v. 432 oratio in hunc fere modum continuata esset: „principio nil horum cerni poterat, sed primordia tantummodo exstabant et inane“. — Sunt igitur illi vv. genuini. Sed estne tota haec pars ex prioribus collecta et quasi consarcinata, an sunt singulae illae particulae ex hac excerptae? Vv. V 422—26 et V 429—31 h. l. in inferiore quidem parte carminis sunt, sed his similes V 187—91 et II 1061—63 Lachmanno iudice exstant in emboliis; sunt igitur postea inserti. Ceteri autem V 419—22 (= I 1021—25), V 427 (fere = I 1029), V 428 (= I 1026) in l. I primitus scripti videntur. Quod si probatur, etiam concedetur Lucretium non inspexisse illum locum libri I, nedum interpolator eum exscripserit. Nam eius de quo dicimus loci argumentatio fere tota ibi exstat: „primordia non consilio suo se ordine locarunt, sed plagis et ponderibus suis diu concita tandem conveniunt in tales dispadituras, qualibus haec rerum summa consistit“. Cur igitur non totam eam inde repetiit sive Lucr. sive interpolator, sed tantummodo sex versus et hos quidem alio ordine? Nimirum poëtae illi sex in mente haerebant. — Haec ratiocinatio eo quodammodo confirmatur, quod h. l. is maxime v. (428) offensioni est, qui etiam in l. I occurrit, ceteri autem eis locis, qui post hunc scripti sunt (V 187—91, II 1061—63).

V 210. 11 = I 211. 12

(si non) fecundas vertentes vomere glebas
terraique solum subigentes cimus ad ortus,
(sponte sua nequeant liquidas existere in auras).

(Gn. 79 sq., Br. 207).

---

1) Cf. similem verbositatem I 513 sqq. nulla res potest probari inane intus habere, si non quod cohibet solidum constare relinquas: id porro nil esse potest nisi materiai concilium, quod inane in rebu' queat cohibere.

Hi vv. repetiti sunt e l. I, ita ut „quae nos" in „si non" mutaretur. Qua mutatione duplex difficultas nata est. Primum enim deest, quod cimus et quae nequeant . . , praeterea vv. cum antecedentibus non conectuntur. Quibus de causis iam Bockemuellerus eos una cum sequenti eiecit. Alii (Christius, cf. Br. l. l.) antea lacunam statuunt, Br. autem eos reliquias pristinae argumentationis uberioris (verstümmelte ältere Fassung) esse suspicatur, Munro denique defendit eos, cum ex sequentibus „quaesita" „omnia" obiectum et subiectum quae desiderantur ad verba „cimus" et „nequeant" revocat. — Non quidem interpolatorem eos e l. I deprompsisse vel ex mutatione elucet, praesertim cum conservata forma nativa altera certe molestia vitata esset (quae nos . . cimus, ea sponte sua nequeant). Interpolatorem opinor tales molestiae omnino non fugissent. At qui vv. memoria tenebat, eum facile fallere potuerunt, cum scribendi studio ferretur; — Lucretium autem quamvis „pedetemptim progredientem" tamen multas partes carminis celeriter confecisse e compluribus indiciis cognosci licet velut e longis periodis, quales exstant I 936 sqq. (= IV 11 sqq.), II 757 sqq., III 425 sqq. (cf. Munr. ed.), V 55 sqq., V 419 sqq. (= I 1021 sqq.); vv. I 1—25 praetermitto de consilio. — Notionem enim „frugum" sive „fetuum" quis desideret, cum de fecundis glebis dicatur (210)? Hanc ipsam ob rem lacunam non agnosco — ex incerta locutione „quaesita" 213 „omnia" 214 vel elucere videtur certam aliquam vocem non antecessisse —; structura vero eo quod obiectum omittitur non gravius violatur quam paulo infra V 225: puer iacet indigusa uxilio, cum primum in luminis oras . . natura profudit sc. eum; V 1251 . . fovea atque igni prius est venarier ortum quam saepire plagis saltum canibusque ciere sc. feras, quae vox v. 1249 antecedit; V 156 dicere . . hominum causa voluisse parare praeclaram mundi naturam . . sc. „deos" quod e „deorum" 154 revocandum est; IV 1139 quod nimium iactare putat oculos sc. eam quae in deliciis est et interdum in ambiguo verbum iaculata relinquit (1137). Contuleris etiam II 194 sq.:

quod genus e nostro com missus corpore sanguis
emicat exultans alte spargitque cruorem sc. corpus.

I 351 sqq. crescunt arbusta et fetus in tempore fundunt,
quod cibus in totas (sc. arbores) usque ab radicibus imis
per truncos ac per ramos diffunditur omnis.

Similes soloecismos congestos invenies in Philol. 26, 297. — Altera offensio, quod orationis vinculum deest, ideo levior est quod his versibus dilatatur antecedens sententia: „vis humana sentibus resistit consueta terram proscindere avatris". Nec tamen solam dilatationem continent sed simul orationem continuant: ne natura arva sentibus obducat, vis humana resistat oportet arando, arantes cimus fruges ad ortum, et tamen interdum

labore quaesitae fervoribus solis aut gelidis pruinis . . perimuntur. Quae cum ita sint, his versibus, etsi merito in eorum forma haeremus, tamen aegre careamus.

I 670. 71 = I 792. 3 = III 519. 20
672 cf. 790
673 = 797
674 = 757 („vigescere“ pro „vigescat“)
I 789—93 = II 750—54
797 = 756 = II 864
(Gn. 60 sqq., To. 551, Br. 206).

Vv. I 670 sqq.

nam quodcumque suis mutatum finibus exit,
continuo hoc mors est illius quod fuit ante.
proinde aliquit superare necesse est incolume ollis,
ne tibi res redeant ad nilum funditus omnes
de niloque renata vigescat copia rerum

Gn. propterea potissimum tentat quod Lucretio Heraclitum eiusque sectatores „ad absurdum ducere“ volenti vv. 672 sqq. obsint. At haec deductio finitur v. 671; argumentatio enim universa est haec: si ignis in coetu omnis exstinguitur, mutatur et interit omnis; res igitur ad nihilum redeunt et e nihilo oriuntur, nam . . .; proinde — ne res ad nihilum redeant et de nihilo renascatur copia rerum — aliquid superare necesse est incolume. Nunc igitur, quoniam certissima quaedam corpora sunt, quae eandem semper servant naturam (i. e. quoniam aliquid superest incolume), haec corpora ignea esse non possunt . . . Noli exspectare — hoc obiter addere liceat — ut syllogismus latius perducatur, ita: „si corpora, quae superesse debent, ignea esse non possunt, ignis in universum principium esse nequit“. Nam solet Lucr. de singulis argumentum petere, quod aut transfert aut transferri vult ad omnia similia. Velut IV 63 sq. quoniam robora fumum mittunt . . , tenuis quoque debet imago ab rebus mitti. cf. V 1041 sqq. putare aliquem nomina distribuisse rebus . . desiperest; nam cur hic posset cuncta notare vocibus, alii facere id non quisse putentur? Itaque I 578 recte Lambinus „quaedam“ poëtae reddidit. Scriptura enim „quaeque“, quam Munro retinet, superandi voce refellitur.

Duo primi vv.

nam quodcumque suis . .
continuo hoc mors est . .

recurrunt III 519. 20. H. l. animum mortalem esse eo probatur quod sanari potest. Mira videtur haec conclusio, sed est Lucretiana. Nam sanando animus mutatur; quod autem mutatur e finibus exit; ergo mortalis est. Gn. illos vv. subditos existimavit,

cum „mutatum exit“ ita acciperet quasi quid mutatum e finibus posset non exire; sed „quod mutatur dissolvitur, interit ergo“ (III 756). Alia exempla participii abundanter appositi congessit Kraetschius, de abundanti dicendi genere Lucretiano Berol. 1881 pg. 78. 9.

vv. II 749—56 (750—54 et 56 = I 789—93 et 97)
omnis enim color omnino mutatur in omnis (pro „et“: Lachm.)
quod facere haud ullo debent primordia pacto.
immutabile enim quiddam superare necessest,
ne res ad nilum redigantur funditus omnes:
nam quod cumque suis . .
continuo hoc mors est . .
proinde colore cave contingas semina rerum,
ne tibi res redeant ad nilum funditus omnes.

Hos vv. Gn. a Lucretio alienos putat, quia e vv. 799—807 eluceat non mutari res mutatione colorum. At illic dicit poëta colores non sine lumine fieri, interdum ipso eo mutari; non dicit eos solo lumine fieri et mutari. Non igitur pugnat ille locus cum hoc, quo ostenditur fore ut mutarentur primordia, si color eis redditus esset, neque omnino ibi — id quod idem Gn. opinatur — prorsus eadem res tractatur. — In l. I tamen ubi illos vv. (I 789 sqq.) requiri quivis concedit, antea locum obtinuerunt; primitus autem vv. I 670 sqq. scripti videntur.

De v. I 757 nulla exstat dubitatio.

Restat v. II 864 (= I 673 = I 797 = II 756); de quo cf. pg. 41 sqq.

VI 383—85 = VI 87—89
non est . . indicia occultae divum perquirere mentis,
383 unde volans ignis pervenerit aut in utram se
verterit hinc partim, quo pacto per loca saepta
385 insinuarit, et hinc dominatus ut extulerit se,
quidve nocere queat de caelo fulminis ictus.
(Neum. 17 sqq., Gn. 78 sq., To. 551, Br. Burs. Jahresb. 1876 II 186. 7).

Vv. VI 87—89 genuinos esse apparet ex disputatione, quam institui pg. 14. Sed posteriore loco fere omnes Neumannum secuti eos delendos esse consentiunt. Neminem enim dicunt in Tyrrhenis libris quaesivisse, unde ignis pervenerit et in utram partem se verterit cett., sed quid illis rebus indicetur; neque igitur vv. 383—85 ab eodem perquirendi verbo (382) posse pendere, a quo pendeat v. 386. Propter particulam „ve“ autem Neum. suspicatus videtur talem versum ab ipso fictum illis expulsum esse:

quid sibi (tibi?) praedicat fausti vis splendida teli.

Talem sententiam poni potuisse non nego, quamquam non dissimulo Lucretium h. l. de fausto fulmine mihi non videri dixisse. At universa Neumanni ratiocinatio mihi non probatur. Nam „indicia divum mentis perquirere“ [1] (382) est „ictus fulminum ceteraque caeli phaenomena observare“. Versus autem, de quibus dicimus, continent talia phaenomena, apte igitur illis verbis subiciuntur. Porro quid nocere queat fulmen (386), quaeritur e carminibus Tyrrhenis; ergo „perquirere“ (382) utique diversa notione intellegendum est. Sed qui hoc est molestum? Nam quicumque minus argute in verba inquiret, rem ita accipiet: non est . . . volventem carmina Tyrrhena (i. e. „dum volvis“, non „eo quod volvis“) indicia deorum perquirere scilicet unde ignis pervenerit . . . quidve nocere queat fulmen i. e. quid illis indiciis indicetur (ex carminibus quaerere). — Sed quamquam sic hi vv. a dubitatione vindicantur, alterum eos antea habuisse locum iam supra (pg. 14) nobis probabile visum est.

II 163. 4 = IV 207. 8

multiplexque loci spatium transcurrere eodem
tempore quo solis pervolgant fulgura caelum.

(Gn. 71 sq., To. 551, Br. 207).

In IV 208 exstat loco vocis „fulgura“ „lumina“; quod suspicatur Gn. in II 164 mutatum esse in „fulgura“, quia in 162 „lumina“ antecedat. Ergo illos vv. ibi cum abesse possint esse interpolatos. At ut „fulgura“ variationis gratia dicantur pro luminibus, qui ex hac re consequitur illos vv. non uno tenore cum antecedentibus conscriptos esse? Nam „fulgura solis“ non insolentem esse locutionem docet v. IV 190: . . stimulatur fulgere fulgur (solis). Id quod revera molestum esse possit: duplex vel triplex comparatio mobilitatis primordiorum et luminum solis (praecellere mobilitate et multo citius quam lumina solis, multiplexque loci spatium eodem tempore transcurrere quo lumina solis caelum pervolgant) hoc idem cadit etiam in alterum locum (IV 207. 8). Quo quamquam illi vv. cum vicinis structura continentur, tamen postea videntur positi, quoniam hoc per se probabilius est.

I 429 = I 531 = IV 672

id quod iam supra tibi paulo ostendimus ante.

(Gn. 8 sq., To. 541 adn.).

---

1) Neum. et qui eum sequuntur „indicia“ intellegunt „quae indicantur“, cum intellegendum videatur „quae indicant“. — Illius coniecturae id quoque obiecerim particula „ve“ non iungendas esse sententias: quid fausti praedicat vis teli quidve nocere queat fulmen, sed potius has: non est . . . perquirere indicia deorum, quidve fausti praedicat vis teli sive quid nocere queat fulmen.

Versum I 429 genuinum esse consentiunt omnes, item fere omnes v. I 531 esse insiticium. Nimiae enim garrulitatis esse ait Stuerenburgius act. soc. phil. Lips. II 428 poëtam illud ipsum, quod paulo supra iam se ostendisse profiteatur, non in mentem lectoribus revocasse satis habere, sed vv. 532 sqq. quasi de integro exponere; praeterea ne inveniri quidem id quod se antea ostendisse dicat. At si versus ille refertur ad unum antecedentem (530), ita fortasse quispiam eum explicet: Vv. 222—25 nullam rem probatur interire posse nisi aut externis plagis ictam aut penitus penetratam. Si nulla res, ne primordia quidem. Ergo huius loci sententia possit esse haec: Primordia neque plagis icta neque penetrata retexi possunt — nec alia ratione queunt temptata labare, ut supra ostendi sc. quoniam tertia exitii ratio nulla est. Sed ut constet haec interpretatio, oratio in hunc fere modum continuanda est: at ne illis quidem rationibus deleri possunt prim., nam neque conlidi cett.; quod quoniam non fit, rem ita expedire malim: l. c. (I 222 sqq.) materiam aeternam esse eo demonstratur quod nulla res e nihilo oriri aut in nihil redire possit. Primordia autem et materia idem valent (510 sunt igitur primordia solida, 519 materia igitur aeterna esse debet). Lucr. igitur fortasse illius memor argumentationis revera dicere voluit se antea ostendisse primordia nullo modo posse deleri. Sed iam non garrulitatis arguendus est. Etenim hoc loco argumentum petit non ut illo ex rebus genitis, quae neque ad nihil recidere neque e nihilo renasci possint, sed ex ipsa atomorum natura. Quamquam illud argumentum ipsum non certius recordari videtur; nam paulo post (540) id tamen quamvis paucis attingit.

Idem v. recurrit IV 672, ubi pro „paulo" exstat „saepe". Lachm. eum cum antecedenti 671 post v. 662 collocavit, quia non dulcia et amara, sed leviora et asperiora elementa in melle commixta esse antea expositum sit. At ne hoc quidem Lucr. exposuisse mihi videtur, nedum saepe. Explicat sane II 402 mellis elementa esse levia et rotunda, quoniam sensum iucunde tangant; sed III 193 — hos locos vult Lachm. significari a poëta — non docet nonnulla elementa mellis esse aspera, sed eadem, quae antea dixit levia, esse asperiora quam aquae. Cave tamen inde colligas extemplo illum v. esse interpolatum. Nam explicatio aliqua praesto est. Ratio enim, cur idem cibus aliis dulcis, aliis amarus sit, repetitur h. l. ex mixtione rerum (658 sqq. cui suavis est cibus, ei levissima corpora caulas palati intrant; cui amarus, aspera et hamata). Levia igitur elementa sunt dulcia, aspera amara. (Idem traditur II 402). Saepius autem (I 815 sqq., II 660 sqq., al.) exponitur in rebus semina permixta esse, quorum sibi quaeque animans capiat convenientia (i. e. levia?), respuat infesta (i. e. aspera?). Ergo Lucr. cum dicit se antea saepe osten-

disse levia et aspera elementa in melle commixta esse, meminisse videtur locorum, quibus res omnes probavit permixto constare semine. Accuratius quidem ita dicere debuit: „cui quid suave est, levia corpora palati caulas intrant; cui idem est amarum, aspera. utraque enim sunt etiam in melle commixta, quoniam res omnes, ut saepe ostendimus, permixto semine constant“. Sed quis in hac re offendet, qui quidem reputaverit, quanta perturbatione tota laboret argumentatio? Etenim poëta cum causam diversi saporis repetit ex diversitate seminum, quae in cibis mixta sint (642—44, 658—62, 671. 672), palata animantum similia esse sumit. Vv. autem 645—57 et 663—70 palata docemur diversa esse eoque fieri ut idem cibus aliis dulcis, aliis amarus videatur aut eidem homini diversis temporibus. Haec inconstantia nullo interpretandi artificio delenitur neque recte excusatur eo quod Lucr. h. l., ut solent Epicurei, satis habeat exponere quid possit oriri, aut plures disponat causas, e quibus una tamen vera sit. Nam eo non confugit nisi in re obscura, cum nequeat „ratio dissolvere causam“ (IV 500). — Quae si probantur, propter leviorem offensionem eum versum, unde profecti sumus, non exterminabimus. De primo autem eius loco non est quod verba faciam.

I 548 = I 609 = I 574

sunt igitur solida primordia simplicitate

(I 574 pollentia simplic.)

(Gn. 73, To. 552, Br. 207).

Tentatur hic v. primo tantum loco ibique una cum duobus subsequentibus, qui non iterantur. Probari enim ait Gn. inde a v. 503 exstare corpora solida; hunc autem versum intellegendum esse ut „sunt“ non sicut in v. 609 verbum substantivum sed copula sit. At inter sententias „primordia aeterna exstant“ et „primordia, quae exstant, sunt aeterna“ nullum rei discrimen est; neque Lucr. ipse eas videtur distinxisse. Quemadmodum enim in propositione I 500: expediemus

esse ea quae solido atque aeterno corpore constent
semina quae . . . rerum esse docemus . . .

commixtae latent sententiae: „expediemus semina rerum solida et aeterna esse“ et „expediemus exstare corpora sol. et aeterna“, ita argumenta pleraque in utrumque modum accipi possunt. Tria priora affero ita ut primordia a e t e r n a esse probari pateat:

I 503—10 quoniam corpora et inane exstant, corpora sunt s o l i d a.

II 511—19 quoniam in rebus genitis inane est, materiam circum s o l i d a m esse necesse est; nec res ulla inane intus habere recte probatur, si non quod cohibet s o l i d u m esse relinquas.

III 520—40 corpora exstant et inane, quae se alternis distinguunt; illa non possunt temptata labare, nam ..., sunt igitur aeterna.

Iam non mirabimur si argumentum IV (540—50) eodem spectat. Quodsi monet Gn. in vv. 548—50 colligi soliditatem atomorum ex aeternitate, cum tamen paulo ante (538 sqq.) haec ex illa efficiatur: alterum recte, alterum minus accurate videtur statuere. Neque enim efficitur in argumento IV (548—50) ex aeternitate soliditas, sed altera notio alteri ex aequo ponitur pariter ac 518. 19, ubi dicitur tantummodo, non evincitur, materiam, si solida sit, esse aeternam. Huc pertinet quod argumento I id unum probatur (510) „primordia esse solida", quamquam in animo erat poëtae demonstrare (500) „esse ea quae solido atque aeterno corpore constent". Recte autem animadvertit Gn. in argumento III ex soliditate effici aeternitatem. Alteram sane confirmasse satis erat; sed ex hac verbositate suspicio non potest peti vv. 548—50 esse interpolatos, praesertim cum duo extremi alibi non occurrant. — De loco primario illius superioris dicere supersedeo.

I 673 = I 797 = II 756 = II 864
ne tibi res redeant ad nilum funditus omnes.
(Gn. 62, To. 551, Br. 206).

Versum II 864 Goebelius quaest. Lucr. pg. 27 sq. primus suspicatus est antecedentibus 862. 3 „a lectore haud quidem somnianti" ascriptum esse. Hanc sententiam amplexi sunt Neumannus, Gn.[1]). Contendunt enim (cf. Gn.) — ne dicam de eo quod abesse possit — nexum enuntiatorum eo turbari: „si volumus subiungere, ne tibi redeant". At si superiore parte huius commentationis aliquid consecutus sum, e tam leviuscula re dubitatio non repetetur. Adde, si illa variatio omnino offendit, quod non v. 864 propter „tibi" sed v. 862 propter „volumus" tentandus erat. Nam tota hac parte Memmius sive quivis alius appellatur: 842 ne putes, 849 cum instituas, 850 quoad potis es. Sed hoc quam temerarium sit in promptu est[2]). Hiatum denique, quem

---

1) To.: dass II 864 . . . hier sehr verdächtig sei, geben wir zu, halten aber die Unechtheit der übrigen Stellen nicht für erwiesen.

Br.: ich muss mich begnügen mit To. (?) auszusprechen, dass mir Gn. seine Annahme nirgends bewiesen zu haben scheint.

2) Similiter oratio variatur e. g. II 381 perfacile est nobis tali ratione exsolvere, quare . . . 384 dicere enim possis.

III 760 sin dicent, 766 confugient . . . . fateare necessest. IV 1145 ne inliciaris, 1146 ne iaciamur (nam „iaciaris" legendum esse Bockemuellerus (ed. IV 1139) mihi non probavit. Non quidem Memmius monetur ne inliciatur, sed quemcumque finges; Lucretium potius ipsum crediderim clamasse cum dicit IV 577 „loca sex voces reddere vidi,

monstravit Goebelius inter sententias huius et antecedentis versus, quivis opinor facile hac ratione explebit: omnes proprietates seiunctae sint necesse est a principiis, si immortalia fundamenta, ex quibus omnia oriuntur, rebus subiungere volumus. Hoc autem necessarium est, ne tibi res ad nilum redeant. Hac interpretatione, si vera est, simul probatur sententiam versuum 862. 3 — id quod contendit Goebelius — non eandem esse atque versus 864.

Ceteris locis hic v. Lucretio non per se solus adimitur; de primario loco eius cf. pg. 36 sq.

II 998 = V 795 = V 821

quapropter merito maternum nomen adepta est.

(Gn. 30 adn., To. 546 adn.).

In l. II fere omnes hunc v. tollendum esse iudicant. Ridiculum esse ait Gn. dicere terram matris nomen merito adeptam esse, cum aether paulo ante pater appelletur. Atque hoc quoque mirum esse, quia non addatur qua re patrem se praestet. — Ad quaestionem nostram minus quidem pertinet — quoniam antecedentes vv. ideo non suspecti habentur —, sed verbo liceat monere v. 922 dici „unde i. e. ab aethere cum alma mater terra guttas recepit, feta parit fruges . . .“ Qui terra matrem se praebeat copiosius illustratur; ut eo minus mirabile sit eam merito matris nomen adeptam esse. Gn. quidem contendit id tantum exponi terram pascere homines, itaque illum v. h. l. minus esse aptum quam V 821—23, ubi terram genuisse homines explicetur. — At dicit Lucr. 994. 5 terra parit fruges . . . et genus humanum, parit omnia saecla ferarum. Id quidem cum mirum videatur: „terra parit homines, cum i. e. eo quod pabula praebet“, minime contemnenda est emendatio Hoerschelmanni (observatt. in Lucr. l. II, act. soc. phil. Lips. V 41) pro „cum“ proponentis „tum“; quamquam nescio an non necessaria sit. Nam si iunguntur verba: parit terra feras, cum pabula praebet, quibus . . . prolem propagant, apertum fit qui pabulis praebitis etiam novae ferae creentur (cf. II 595 sqq. tellus fruges hominibus extollit et pabula praebet feris: quare magna deum mater materque ferarum et nostri genetrix haec dicta est corporis una). Certe illa scriptura causa non est quod v., quem tractamus, tamquam

---

unam cum iaceres“. Certe non licet inde colligere „dass Lucr. und Memmius öfter zusammen auf Jagd- und Waldpartieen gejagt und das Echo beobachtet hätten“). — His locis non certum quendam significari altera persona — nisi hic usus pateret per totam latinitatem — confirmari possit e. g. v. V 260: quoniam dubio procul esse videtur omniparens rerum et commune sepulcrum, ergo terra tibi libatur et aucta recrescit.

minus idoneus in dubitationem vocetur. Immo vel externo testimonio defendi videtur. Neque enim quisquam quod sciam refellit — id quod iam Reisackerus quaestt. Lucrett. pg. 38 ostendit — vv. 991—1006 translatos esse ex Euripidis Chrysippo (fragm. 836 N.)[1]):

---

1) Ex vv. II 991, 999 sqq.

denique caelesti sumus omnes semine oriundi. —
cedit item retro, de terra quod fuit ante,
in terras: et quod missum est ex aetheris oris,
id rursum caeli rellatum templa receptant

Zellerus, Phil. d. Griech. III 1, 421 concludit haec: „Epikur teilt mit den Stoikern auch die Annahme einer himmlischen Herkunft des Menschen, und soll auch damit hier zunächst nur gesagt sein, dass der Mensch, wie die lebenden Wesen überhaupt, ätherische Stoffe in sich habe, so knüpft sich doch hieran, ähnlich wie bei den Stoikern, die Unterscheidung des Edleren und Unedleren im Menschen, welche in letzter Beziehung doch nichts anderes ist, als ein materialistischer Ausdruck für den Unterschied des Geistes von der Materie". Eodem pertinere videntur verba pg. 469: „die Epikureer führen den Glauben an die himmlische Abkunft der Seele in die Psychologie ein. — At dubito, num illi vv. ad animi naturam referendi sint. Etenim aether h. l. non hominum modo, sed etiam frugum et arbustorum pater nominatur. Anima autem extra formam animalem esse nequit (V 140 sq.). Ergo „aether" ut apud Euripidem translate ponitur pro „pluvia", unde terra umoris guttas recipit. Hoc Munronem quoque videtur fugisse, qui quidem de divina hominum origine agi recte negat; sed de anima dici non videtur negare, cum „caeleste semen" interpretatur „aethera" (sc. quem nos dicimus)*). Etiam Gn. illa ductus opinione desiderare videtur qui aether patrem se praebeat. — Mihi sententia huius loci eadem videtur esse atque

I 250 sqq. . . pereunt imbres, ubi eos pater aether
in gremium matris terrai praecipitavit:
at nitidae surgunt fruges . . .,

quem quidem locum Bockemuellero non assentior explananti „der väterliche Äther hat den Regen entsandt, sobald er aus den höheren Regionen der Atmosphäre kommt und sich mit feurigen Substanzen (elektrischen Ätherteilchen) gesättigt hat",
et II 871 sqq.:

videre licet vivos existere vermes
stercore de taetro, putorem cum sibi nacta est
intempestivis ex imbribus umida tellus,

ubi Bockemuellerus non magis recte „intempestivos imbres" interpretari mihi videtur „Gewitterschauer im Unterschiede von Landregen; jene enthalten in ihren elektrischen Stoffen Ätherteilchen". Neque enim quidquam aliud me indice his locis dicitur quam aqua et terra homines feras fruges procreari. — In Pacuvii tamen fr. VI (Ribb.) quod est ex Chryse fabula:

v. 86 Hoc vide circum supraque quod complexu continet
87 Terram

---

*) every thing . . . comes from the mingling of the elements of ether and earth pg. 455.

Γαῖα μεγίστη καὶ Διὸς Αἰθήρ,
ὃ μὲν ἀνθρώπων καὶ θεῶν γενέτωρ,
ἣ δ' ὑγροβόλους σταγόνας νοτίας
παραδεξαμένη τίκτει θνητούς,
τίκτει δὲ βορὰν φῦλά τε θηρῶν·
ὅθεν οὐκ ἀδίκως
μήτηρ πάντων νενόμισται.
χωρεῖ δ' ὀπίσω
τὰ μὲν ἐκ γαίας φύντ' εἰς γαῖαν,
τὰ δ' ἀπ' αἰθερίου βλαστόντα γονῆς
εἰς οὐράνιον πάλιν ἦλθε πόλον·
θνήσκει δ' οὐδὲν τῶν γιγνομένων,
διακρινόμενον δ' ἄλλο πρὸς ἄλλου
μορφὴν ἑτέραν ἐπέδειξεν.

Sed transeamus ad alterum locum, quo haec sententia recurrit:

V 795. 6
linquitur ut merito maternum nomen adepta
terra sit, e terra quoniam sunt cuncta creata.

Hi vv., quibus Gn. eumque secutus To. „argumentationem interrumpi" censent, antecedentibus duobus paene flagitari mihi videntur. Etenim „terram esse matrem rerum, non mare aut caelum", quod confirmaretur causa erat nulla, quoniam terrae notio in antecedentibus sine ulla vi ponitur (dicitur ita: primum terram sustulisse herbas virgultaque, inde loci mortalia saecla); sed si additur „non caelum aut mare res procreasse", exspectamus etiam ut inde concludatur „terra igitur mater est[1]). Cuius sententiae formam „linquitur ut terra merito maternum nomen adepta sit" — in qua Gn. offendit — satis defendi puto simili, quae exstat IV 160

89 Id quod nostri caelum memorant, Grai perhibent aethera:
90 Quidquid est hoc, omnia animat format alit auget creat
91 Sepelit recipitque in sese omnia, omniumque idem est pater,
92 Indidem eadem aeque oriuntur de integro atque eodem occidunt,

ut in vv. Lucretii V 318 sqq., qui illis similes sunt, „caelum" sive „aër" significatur; quem dicit Pacuvius, negat Lucretius omnia creasse. (Aliter etiam „aether" accipiendus est in Pacuvii fragm. VII eiusdem fabulae

v. 93 Mater est terra: ea parit corpus animam aeter adiugat,

quo v. aër dici videtur genuisse solam animam).

1) cf. II 1150 sqq.: tellus
vix animalia parva creat, quae cuncta creavit
saecla . . .
haud, ut opinor, enim mortalia saecla superne
aurea de caelo demisit funis in arva,
nec mare nec fluctus plangentis saxa crearunt,
sed genuit tellus eadem quae nunc alit ex se.

ut merito celer his rebus dicatur imago.

Sed si vv., quos tractamus, non ab interpolatore e vv. V 821. 2 sumpti sunt, iam non licebit negare primo loco eos primitus scriptos esse.

I 146—48 = II 59—61 = III 91—93 = VI 39—41

Hunc igitur terrorem animi tenebrasque necessest
non radii solis neque lucida tela diei
discutiant sed naturae species ratioque
(Gn. 69 sqq., To. 552, Br. 202).

Hos vv. Gn. in l. I a Lucretio abiudicat eandemque sententiam Sauppius videtur amplexus, ind. lect. Gott. 1880 pg. 13. Pro causis affert ille primum, quod verba „hunc terrorem non radii solis neque lucida tela diei discutiant necessest“ non habeant quo spectent, nisi praecedant verba, quae ceteris locis praecedunt „veluti pueri in tenebris, sic nos in luce timemus“. Negat enim ea referri licere ad vv. 132. 33 — id quod Br. et Stuerenburgius voluerunt — quoniam terror aegrotorum et somniantium ne naturae quidem specie pelli possit. At reputemus Lucretium sibi proposuisse ut pectora liberaret a superstitione aliisque vanis curis: iam exponit in fronte quasi totius carminis homines, in somnis et vigilantes, sanos et aegrotos, sollicitari maxime simulacris mortuorum, quos vivere credant. Quid quaeso haec, si hunc terrorem pellere non potest? Certe hoc se posse aut confisus est aut promisit, nisi ipse consilium carminis irritum facere voluit. Non quidem aegrotis ipsis et somniantibus terror adimi potest, at eius timor, qui somnia deorum occultae mentis indicia putat, dispellitur, cum rationem eorum perspiciat; neque omnino is, qui persuasum habet vana esse illa simulacra, in somnis eis angi solet. Nam

„quibus in rebus multum sumus ante morati
in somnis eadem plerumque videmur obire“ IV 963. 65.

Vereor tamen ut ita sententiam huius loci recte reddamus, potiusque crediderim „hunc terrorem animi“ 146 significare „terrorem, de quo ante dixi“, non „certum illum, quo qui morbo adfecti somnoque sepulti sunt vexantur“, verba autem „non radii solis nec lucida tela diei“ scripta esse eorum causa quae antecedunt „terrorem animi tenebrasque“; cf. V 49. 50

haec . . . qui cuncta subegerit ex animoque
expulerit dictis, non armis . . .

Alterum Gneissii argumentum, quod „cuius“ 149 respiciat ad vocem „carmine“ 143, recte iam To. refutavit, cum pronomen illud referret ad „naturae species ratioque“; sed fortasse ne haec quidem verba audiuntur neque aliud quidquam v. 149 dicitur nisi

hoc: „atque principium hinc petam". Itaque quoniam offensiones non exstant, versus retineri censemus.

Excipiuntur eis

vv. II 55—58 = III 87—90 = VI 35—38

nam veluti pueri trepidant atque omnia caecis
in tenebris metuunt, sic nos in luce timemus
interdum nilo quae sunt metuenda magis quam
quae pueri in tenebris pavitant finguntque futura.
Hunc igitur terrorem cett.

(Gn. 19 sq., To. 545, Br. 202).

Totam hanc complexionem Gn. assentiente Tohtio in ll. II et III eliminare studet. V. II 55 ait quae particula „nam" inducantur non confirmare antecedentia, sed eis esse consequentia. At etsi non nascitur ex timore ignorantia, tamen, quoniam illius causa est, ex eo cognoscitur sive, id quod idem valet, timor indicat ignorantiam (Furcht beweist Unwissenheit, weil sie daraus hervorgeht). Iam interpretatio aperta est: Religiones pelli nequeunt armis opibus (37—42); quodsi ita pelli nequeunt (43—46), quid dubitas quin ratione possint sive quin haec sit rationis egestas (cf. Hoerschelmannus, act. soc. phil. Lips. V pg. 29)? Omnis enim vita laborat in tenebris (ignorantia) (47—54) nam — i. e. hoc apparet inde quod — ut pueri . . . interdum timemus quae . . . In hac confirmatione „omnis vita laborat, nam interdum timemus quae" non offendes, dummodo vocem „interdum" recte iungas: „timemus quae interdum non magis metuenda sunt quam quae pueri pavitant" i. e. timemus interdum vana. sic I 817. 8 v. pg. 20 sq.

eadem magni refert primordia saepe
cum quibus et quali positura contineantur.

II 954 sq. fit quoque uti soleant minus oblato acriter ictu
reliqüi motus vitalis vincere saepe.

IV 1218 sq. fit quoque ut interdum similes existere avorum
possint et referant proavorum saepe figuras

V 1231 sq. violento turbine saepe
correptus nilo fertur minus ad vada leti

VI 130 sq. nec mirum, cum plena animae vensicula parva
saepe det haut parvum sonitum displosa repente.

VI 489 sq. haut . . . mirumst, si parvo tempore saepe
tam magnis nimbis tempestas atque tenebrae
coperiunt maria . . .

VI 639 sq. nunc ratio quae sit, per fauces montis ut Aetnae
expirent ignes interdum turbine tanto,
expediam.

VI 714 Nilus . . rigat Aegyptum medium per saepe calorem.

VI 800 sq. solio ferventis aquai
quam facile in medio fit uti des saepe ruinas.

VI 910 sqq. catenam
saepe ex anellis reddit pendentibus ex se.
quinque etenim licet interdum pluresque videre . .

VI 974 sq. subus acre venenumst;
quod nos interdum tam quam recreare videtur.

pariter accipio vv. VI 33 sq.

genus humanum frustra plerumque probavit
volvere curarum tristis in pectore fluctus.

Sed haec exempla sufficient, ut etiam eo de quo dicimus loco „interdum" ad solum obiectum quod est „nilo quae sunt metuenda magis . ." referre liceat. — Restat ut dicamus de triplici significatione vocis „tenebrae" (54 = ignorantia, 55. 58 = caligo noctis, 59 = angor). Negare hanc variationem molestam esse nihil attinet; argumenta autem eius iudicii vix ulla investigabis. Itaque satis habeo monuisse poetam ipsum illas notiones fortasse non omnes subtiliter distinxisse (54 vita laborat in tenebris, 59 terrorem animi tenebrasque) atque duas quidem etiam in vv. VI 35—41, qui non tentantur, discernendas esse (cf. Br. qui adhibet vv. III 449—52). Certe propter hanc solam rem nemo illos vv. expunget. Gn. ipse cum emendatori eos tribueret, apte eis prooemium cum disputatione iungi sensit. Sed non emendator eos scripsit. Qui quidem prooemium libri VI, eisdem versibus conclusum, a Lucretio absolutum esse concedit — hoc autem concedunt omnes —, ei antecedentium exordia ab emendatore suppleta esse contendenti fidem recte denegabimus.

Etiam libri III prooemium deletis illis versibus (87—93) truncaretur. Qua nisi fallor causa motus Goebelius (l. l. pg. 27), cui assentitur Br., ibi vv. quatuor tantum priores ad interpolatorem retulit. Sed hoc non magis probaverim. Neque enim „interdum" h. l., quamquam antecedunt (v. 37 sqq.) „metus qui turbat funditus humanam vitam ab imo, omnia suffundens mortis nigrore, neque ullam esse voluptatem liquidam puramque relinquit" magis displicet quam in l. II. Gravius illud quidem videtur quod ante hos vv. de certo mortis timore dicitur, in ipsis autem in universum de rebus non metuendis. Sed quis non extemplo sententias ita conectet: homines Acheronta vitare petentes saepe iam patriam et parentes prodiderunt; timemus enim in morte aeternas poenas (I 111) aliasque formidines, quae non magis me-

tuendae sunt quam quae pueri in tenebris pavitant? Quod si probatur, illi vv. h. l. vix magis offendunt quam in l. VI. (35—41), ex quo in hunc translati esse dicuntur. Etenim si accuratius inquiremus in illum locum, hiatum animadvertemus inter sententias: probavit Epicurus homines plerumque frustra curarum fluctus in pectore volvere. nam interdum timemus . .; qui quidem hiatus facile ita expletur: probavit Epicurus homines . . timere; hoc verum est; nam timemus . . . Sed incohata est oratio, quasi ita continuaretur: (probavit E.), cuius ego ingressus vestigia . . rationes persequor . . (V 55).

Quae cum ita sint, versus tres inferiores primitus positos esse arbitror in l. I, totam seriem in l. II, postremo in ultimo libro. —

Versus omnes, de quibus diximus, Lucr. memoriter repetiisse putari potest, multos etiam ita ut eum iteratio falleret. Restant duo loci, qui longiores sunt quam ut hoc probabile sit.

IV 217—29 = VI 923—35. (Gn. 73, To. 551, Br. 207). (IV 221 — variae — voces volitare, VI 927 — varii — sonitus manare).

Postquam Goebelius (quaestt. Lucrett. pg. 22 sqq.) demonstrare studuit vv. IV 218—29 falso esse repetitos, Gn. etiam antecendentes duos 216 et 17 a Lucretio abiudicavit; atque in hanc sententiam abierunt fere omnes. Sed causis, quas afferunt, non assentior. Contendunt enim a vv. 177—215, quibus de simulacris agatur, alienum esse quod fluant a certis rebus odores, frigus a fluviis, voces volitent per auras, quoniam odores frigus voces non simulacra sint. At utrum effluvia, quae aures naresque lacessunt, nominentur simulacra, an ea tantum quae oculis cernuntur, meo iudicio ad rem non multum facit (cf. tamen IV 881 simulacra meandi, IV 556 servat vox quaeque formaturam et figuram, 571 imago verbi, 574 formas verborum). Nam certe ratio simulacrorum eadem ad omnia quaecumque sensus lacessunt effluvia aeque pertinet; conferas e. g. qua ratione imago de speculo in speculum tradatur, ut quinque etiam aut sex simulacra fiant (IV 269 sqq. maxime 326 sqq.) et qui saxa sex etiam aut septem pares formas verborum reddere possint (IV 572 sqq.). Explicandi ratio est simillima, quod vel transitione indicatur, qua poëta de visu ad ceteras perceptiones sensuum tractandas procedit (522 sq.):

Nunc alii sensus quo pacto quisque suam rem
sentiat, haud quaquam ratio scruposa relicta est.

Audio opponi: cum de visu, odore, sonitu, cett. sensibus agitur, quid sibi volunt frigus fluviorum, calor solis, aestus undarum? At respiciatur illa quae „in rebus apertis“ fiunt effluvia comparationis gratia adhiberi (frigus ut a fluviis et q. sq. 219) ita ut eis illustretur et fortasse etiam comprobetur omnes per-

ceptiones fieri effluviis. Nam „cur frigus calor aestus magis recedant a fluviis sole undis, quam e. g. ab olentibus rebus corpora, quae odorem excitant, hiscendist nulla potestas" (cf. IV 54—66). Non igitur videtur haec pars abhorrere a libro, qui est de sensuum perceptionibus. Negatur autem eam pertinere ad celerem motum simulacrorum. At hoc caput absolutum est v. 215; eique clausulae loco subiunguntur vv. 216. 17, versu autem 218 ratio simulacrorum, quae oculos laedunt, transfertur ad cetera effluvia (219 fluunt . . odores, 221 voces volitant per auras, 222 in os venit umor saporis); atque huius quidem partis summa comprehenditur vv. 225 sqq. (usque adeo ab omnibus rebus res quaeque fluenter fertur sine mora ac requie, quoniam omnia semper cernere odorari licet et sentire sonare). — Quae si recte exposita sunt, vv., de quibus agimus, in l. IV suo exstant loco; quin iustam etiam sedem teneant in l. VI, nemo umquam dubitavit. Hic enim eorum ope sc. effluviis explicatur qui Magnes lapis ferrum ducere possit. Iam quaeso reputemus ad hanc rem omnia exempla effluviorum pariter accommodata esse, vel potius frigore fluviorum calore solis aestu undarum clarius demonstrari etiam de ferro effluvia posse recedere quam e. g. odore et sonitu, quae effluvia esse illorum demum exemplo in versibus, quos tractamus, confirmatur. Ergo in l. VI hi vv. non primitus locum occupaverunt; sed requiri in eo videntur. Unde consequens est utroque loco eos deberi Lucretio.

Quod si probatum est, in vv.

I 926—50 = IV 1—25

(I 950 qua constet compta figura, IV 25 ac persentis utilitatem), de quibus cum ipsi decertandi rationem non praebeant diu dissentiunt homines docti, non diutius remorandum est. Etenim si eis in quos inquisivimus versibus Lucr. revera bis in diversis argumentis usus est, cur hos iterare dubitarit, causam vix indagabis. Non quidem sicut illi inserviunt ipsi disputationi; sed si exordium libri VI a Lucretio perfectum est (cf. pg. 47), etiam libri IV exordium ab eo perscriptum esse colligi licet. In l. I tamen illos vv. primitus locum habuisse non per se tantum probabile est, sed difficile perspicitur, cur versus, semel apte positi in fronte libri IV, postea inserti sint in alium librum, ubi non perturbant quidem disputationis ordinem, nequaquam tamen flagitantur; contra qui factum sit ut poëta in materia non tam poëtica quam philosopha „quae plerumque videtur tristior esse" eos primo cursu intexeret in l. I nemo opinor non persentiet.

Haec fere sunt in carmine Lucretiano iterata. Quae quoniam Lucretio vindicanda esse nobis videntur, plerisque autem criticis displicent, neque iniuria, si ad severiores venustatis leges exiguntur,

iam denuo suscipimus quaestionem, quam ante commentationem ipsam reposuimus: num probabile sit in perpoliendo carmine poëtam ea remoturum fuisse. Quae ipsum videntur fefellisse, de eis non est quod copiosius dicam; sed multos vv. sciens de memoria repetiit. Ne hos quidem recte dices eum mutaturum fuisse, quoniam diserte interdum priorem locum legentibus in memoriam revocat, ipse igitur repetitionem admisisse censendus est. Ampliores autem illas versuum complexiones, quae ut ad verbum saepe concinunt ita evoluto carmine iteratae videntur, si quis eas contendat Lucretium in aliam formam coacturum fuisse, non multa habeo quae opponam. Emendatori vero ne eae quidem tribuendae videntur. Nam quamquam incommoda orationis, quorum aliquot indicavimus, embolia infirmo plerumque vinculo cum carmine iuncta, argumenta, quorum alia sunt minus constanter ad finem perducta, alia in iustum ordinem non redacta, luculenter docent carmen non omnibus numeris absolutum esse, tamen et disputationes et prooemia ea qua nunc exstant forma concepta sunt a Lucretio.

Caput II.

De ratione quae intercedit inter Lucretium et Epicurum.

Woltjerus (Lucretii philosophia cum fontibus comparata, Groningae 1877) extra dubitationem posuit Lucretium non modo in universum Epicuri doctrinam reddere, sed singula etiam ab eo petivisse argumenta. Sed quod discrimina statuit, quibus Lucr. magistri philosophiam contaminarit, eaque orta esse contendit inde quod Lucretius eius mentem non satis perceperit, ultra verum progredi mihi videtur.

Epicurum ait pg. 100 sq. (cf. pg. 178) congruenter cum philosophiae suae fundamento statuisse libertatem voluntatis, Lucretium (pg. 99) inconstanter in l. II docere voluntatem esse liberam, contra in l. IV eam suam habere causam, ergo non esse liberam. Mihi Lucretius de hac re neque secum videtur pugnare neque a magistri sententia aberrare. Cui quidem quid placuerit accuratius perscrutari non opus est. Omnes enim scriptores confirmant testimonium Diogenis Laert. qui X 33 tradit eum voluisse „*τὸ παρ' ἡμᾶς ἀδέσποτον εἶναι* i. e. voluntatem esse liberam. Cuius libertatis ei

erat finis „ut necessitatem effugeret" (Cic. de nat. deor. I 25, 69), causa efficiens sive condicio declinatio atomorum (Cic. de fato 10, 22, 3). Sententiae, quam adumbravi, non adversantur fragmenta Herculanensia; nam quod Gompertius (Neue Bruchstück Epikurs, Wien 1876) ex eis eruisse sibi videtur: „Epikur war nicht . . . Indeterminist; er war ein Gegner des Fatalismus nicht des Determinismus", ex eis posse demonstrari iam Zellerus negat (Phil. d. Griech. III 1, 424 adn. 4). — Concinunt cum illa sententia quae Lucr. in l. II disputat. Woltjerus ipse (pg. 100) citat vv. 277 sq.:

Iamne vides igitur quamquam vis extera multos
pellat et invitos cogat procedere saepe
praecipitesque rapi, tamen esse in pectore nostro
quiddam quod contra pugnare obstareque possit?

Sed in l. IV idem homo doctus indicat Lucretium cogi voluntatem non liberam esse fateri. „Nam" — ita argumentatur — „si ambulare volo, simulacra meandi primum accidere debent: ergo si „„contra pugnare obstareque"" volo vi extimae, quae me propellit, primum simulacra resistendi in animum meum penetrare debent"; qua in re vereor ne paululum lapsus sit. Etenim si cui simulacra resistendi accidere possunt, potest resistere; quod si potest, non cogitur, ergo liber est. Sed non opus est illis simulacris resistendi. Nam de libertate voluntatis doctrina, quae in l. II tamquam suo loco exponitur, — fidem enim ducit ex atomorum declinatione — in l. IV me iudice non tangitur. Quod ut probem, res paulo altius repetenda est. Postquam inde a v. 524 auditum saporem odorem speciem mentis perceptiones simulacrorum ope explicuit poëta, v. 877 eadem ratione incessum declarare incipit. Primum, inquit 881, simulacra meandi accidunt animo nostro eumque pulsant (quae sequuntur 883. 4:

inde voluntas fit: neque enim facere incipit ullam
rem quisquam, quam mens providit quid velit ante

ad tempus omitto), ergo animus cum sese ita commovet ut velit ire, ferit animae vim per membra et artus dissitam. Inde ea proporro corpus ferit, atque ita tota moles movetur. Praeterea tum corpus rarescit, et aër mobilis in foramina eius penetrat, et his duabus rebus corpus ut navis velis ventoque fertur. — In his nihil de libertate aut necessitate. Neque enim quaeritur, utrum simulacris cogamur meare an eis possimus resistere, sed ponitur nos velle ire; de ratione igitur sive de facultate meandi agitur. Luculenter hoc illustratur navis exemplo, quae velis ventoque fertur. Nam ne hic quidem quaeritur, num qua vis navem in contrariam partem repellere possit; sed hoc unum affirmatur eam velis ventoque posse provehi. Ne vero inde efficiatur illis simulacris nos cogi aut voluntatem excitari, poëta

ipse videtur prohibere. Ut enim explicet quare, quod cuique libido suaserit, extemplo mens id cogitet, fingit (v. 797) in quovis tempore et loco cuiusvis generis simulacra praesto esse. — Sed quia tenuia sunt, inquit, animus ea acute cernere nequit, nisi se contendit. Opus est igitur animus, quemadmodum oculi, ad ea simulacra se convertat quae cernere cupit. Nam, ut ait 237, in imaginibus causa videtur inesse cernundi neque posse sine his res ulla videri. Sunt igitur simulacra condicio, sine qua cogitare nequimus, nec vero eis cogitare cogimur. Cum cogitandi autem ratione ex Lucretii mente conferri potest ratio meandi. Ergo ne meandi quidem simulacris cogimur procedere, sed cum volumus ire, ad ea nos contendamus et paremus necesse est. Quod cum possimus, ubi volumus, voluntas est libera. — Haec si recte disputantur, vel ex eo loco qui ad voluntatem proprie non pertinet eam esse liberam elici potest. Nonne mira esset — ut hoc addam — interrogatio (877) „qui fiat uti passus proferre queamus, cum volumus", si volentes tamen non possemus? — Sed obstare videntur nostrae sententiae verba (883): „inde — i. e. eo quod simulacra animum pulsant — voluntas fit". At qui haec accipienda sint apparet ex sequentibus, quibus confirmantur:

neque enim facere incipit ullam
rem quisquam, quam [1]) mens providit quid velit ante;

id quod mens providet, rei simulacrum est. Nemo igitur ullam rem sine simulacris facere incipit (cf. V 182 sqq.). His confirmari potest nulla sententia nisi haec: simulacra meandi animum nostrum pulsant: inde potestas fit. Non quo depravata sit scriptura quae traditur, sed explicatum habet, dummodo poëtam statuas ita cogitasse: simulacra pulsant animum: inde voluntas fit, quia non sine eis fieri potest (neque enim facere incipit cett.).

Quoniam disputatio libri IV non pugnat cum eis quae in l. II disseruntur, Lucretium consentire cum magistro colligi licet. — Ne scrupulus resideat, pauca addenda sunt de illa vi abdita, quae res humanas

opterit et pulchros fascis saevasque secures
proculcare ac ludibrio sibi habere videtur (V 1233—35).

Baylio enim Lucr. h. l. inconstanter vim quandam fati agnoscere visus est; quam quidem inconstantiam eo voluit excusari quod poëta de volgi opinione loqueretur (cf. Eichstad. ed. pg. 89 adn.); alii (Reisackerus, quaestt. Lucrett. pg. 35, der Todesgedanke bei den Griechen, Trier 1862 pg. 46; Bindseilius, quaestt. Lucrett. Tanglimi 1867 pg. 27) hanc inconstantiam imminuerunt, cum

1) Loco huius voculae, quae omissa est in codd., nescio an substituendum sit „ni".

naturae illam caecam et abditam vim attribuerent; Munro denique Baylii amplexus sententiam illam inconstantiam inde profectam esse suspicatur quod Lucr. commotus sit casibus, qualem memoret Cicero in Pison. 44 (M. Marcellus, qui ter consul fuit, summa virtute pietate gloria militari periit in mari. cf. Liv. ep. L). — Nulli tamen prorsus adstipulor. Nam etiam hoc loco Lucr. cum exponit unde religio orta sit, id potissimum agere videtur ut hominum animos a metu vindicet. Si iam ipse statueret aut fati vim aut naturae abditam vim, quae non minus pavorem excitare posset: nonne viam sibi obstrueret ad consilium illud exsequendum, etiamsi populariter diceret? Qua de causa existimo Lucretium h. l. dicere sicut

VI 70 sqq. delibata deum per te tibi numina sancta
saepe oberunt; non quo violari summa deum vis
possit, ut ex ira poenas petere imbibat acris,
sed quia tute tibi placida cum pace quietos
constitues magnos irarum volvere fluctus cett.

Revera igitur illa vis abdita, quam quidem poëta ipse non agnoscit, etsi — vel potius eo quod — fingitur, res humanas opterit usque adeo ut vel imperator in mari

cum validis pariter legionibus atque elephantis

deos precibus fatiget; qui cum nihilominus intereat, id consilio quodam et ludibrio sive fati sive deorum fieri hominibus videtur. (. . . obterit igitur vis abdita quae creditur, sive religio, . . . proculcare autem videtur vis abdita ipsa). Quod si probatur, sententia huius loci non ita diversa est ab ea quae antecedit V 1218: animus contrahitur formidine divum. (cf. I 62. 3 humana vita iacebat oppressa gravi sub religione, I 78. 9 nunc religio vicissim opteritur, „optrivit" igitur antea ipsa . . ., I 151 formido mortalis continet omnis). — Quoniam ficta est illa potestas, voluntas ea non coërcetur; recte igitur illi versus a quaestione de voluntatis libertate segregantur [1]).

Iam transeamus ad Epicuri de magnitudine solis et lunae sententiam, quam Woltjerus pg. 125 censet a Lucretio in l. V non

---

1) Munro suam sententiam fulcire studet vv. VI 29
quid . . . mali foret in rebus mortalibu' passim
quod fieret naturali varieque volaret
seu casu seu vi, quod sic natura parasset.
Sed quoniam „casus" naturalis dicitur, de fati quadam vi, quae naturae foedera rumpat, vix licet cogitare. Ergo si forte non opus sit Lachmanni emendatione, qui v. 31 „causa" reposuit, tamen sententia alia verbis non videtur subesse. Locutionibus autem quales sunt „fortuna gubernans" V 107 (saepe „natura gubernans"), „fati protollere fines", quod ipse poëta interpretatur „adversus naturae foedera niti" V 309, non alienam praeter naturae vim introduci vix est quod moneam.

perspectam et perturbatam esse. Summa autem ratiocinationis est fere haec: Epicurus observavit solem orientem et occidentem maiorem videri quam meridiano tempore; itaque suo iure videtur contendere solis *μέγεθος τὸ κατὰ τὸ κατ' αὐτό* vel minus esse quam *τὸ κατὰ τὸ πρὸς ἡμᾶς* sc. quia oriens sol maior videtur quam meridie. Lucr. contra ut illud non observavit, ita non distinxit diversos ambitus solis, ac tamen concedit eum posse minorem esse quam videatur. Quid vero? Distinxit igitur *τὸ μέγεθος τὸ πρὸς ἡμᾶς* et *τὸ κατ' αὐτό*. Turbasse autem rem nec Purmanno (Jen. Lit. 1879, 414) videtur, qui tamen suam sententiam non copiosius explicuit, nec mihi. Non quidem verba 571. 2 „solem tantum esse quantus nobis videatur, ut nil plus aut minus addere possis" ita accipio ut Woltjerus videtur interpretari: solem tantundem esse quantus videatur, sed concedit Lucr. solem esse posse paulo maiorem aut minorem; utrum tamen verum sit ignorari, neque igitur recte ei aliquid addi, quoniam minorem eum esse aeque sit probabile (cf. Cic. de fin. I 6, 20). Cum his bene conveniunt vv. 564. 5 et 594. 5. Qui sol minor esse possit illustratur exemplo flammarum terrestrium, quae quo longius aut propius a nobis absint eo minores aut maiores videantur itaque de Epicureorum sententia revera sunt (585—89, 594. 5). Haec mihi plana videntur, quamquam solis orientis sive occidentis et meridani nulla fit mentio. — Ac ne Epicurus quidem illa observatione ita usus est, ut inde declararet solem (eodem tempore) minorem esse posse quam videretur. Sed si vesperi maior ei videbatur quam meridie, revera eius filum voluit mutari. Luna quidem e Lucretii sententia certo tempore g i g n i t u r et d e l e t u r sc. quia multa certo tempore creantur V 731—50. De hac autem re Lucr. non videtur dissidere a magistro. Ergo de solis magnitudine Epicurum aliter iudicasse quod credatur ratio non exstat. (cf. Diog. Laert. X. 91 *τὸ . . . μέγεθος τοῦ ἡλίου τε καὶ τῶν λοιπῶν ἄστρων κατὰ μὲν τὸ πρὸς ἡμᾶς τηλικοῦτόν ἐστιν ἡλίκον φαίνεται*. Haec verba Woltj. ipse adhibet pg. 124).

Ut Lucretium, si non recedit a magistri sententia, non licet colligi hunc adeo serviliter sequi ut etiam praecepta male intellecta ab eo receperit, ita certis argumentis adhuc non comprobatum mihi videtur eum praeter magistrum aliis philosophis non ipsum operam dedisse. Non dixerim aliena placita eum intulisse in Epicuream doctrinam, sed eorum quos memorat philosophorum et notitiam et impugnationem magistro eum debere demonstratum esse nego. Empedoclis quidem cognitionem poëtam hausisse ex solis Epicuri scriptis is non satis constanter videtur contendere (Woltj. 179 sq.), qui Empedocli quamvis pauca orationis lumina deberi non it infitias (Woltj. 182. 3). Inde vero quod Lucr. eum non ex illius doctrinae fundamento impugnat sed Empedoclea ele-

menta, quae auctor voluit esse immortalia, mollia dicit sc. ex ipsius sententia, non recte effici eum „ne inspexisse quidem libros" Empedoclis, iam Briegerus animadvertit Burs. Jahresb. 1877, II 73.

Idem illud pertinet ad Heraclitum et Anaxagoram. De Anaxagora pauca addenda sunt. Vocem quidem „homoeomeriae" ab Aristotele inventam minus errore deceptus quam dicendi quadam neglegentia ad Anaxagoram ipsum videtur referre. At non distinxit ex illius mente τὰ σύνθετα corpora (velut terram et aquam) et τὰ ἁπλᾶ („οἷον σάρκα καὶ ὀστοῦν"), sed omnia putat constare ex partibus, quae totis pares sint (esse ἁπλᾶ). Inde complura vitia nata sunt. Primum enim enumerat I 840. 41 inter homoeomerias terram et ignem, quae eo non pertinent. (cf. Woltj. pg. 30). — Ossa tamen et viscus ex pauxillis ossibus et visceribus gigni neque per iocum (Woltj. 31) neque per errorem dicere videtur v. 835 sq. — Deinde (vv. 859—74) parum accurate Anaxagoram impugnat, cum convincit omnes res commixtas esse ex alienigenis partibus e. g. cibos ex ossibus et venis (ita dicit ex ipsius sententia non sine inconstantia quadam, cum dicendum sit cibos constare ex primordiis ossium et venarum). Postremo (vv. 875 sqq.) immerito ei exprobrat quod, etsi velit ἁπλᾶ esse omnia, tamen parum sibi convenienter sumat omnia esse σύνθετα. Quod quidem ipsum recte confutare videtur, quoniam non omnibus rebus omnes res immixtae latent, sed multarum rerum semina multis rebus communia sunt (894—96).

Prave porro refert Lucr. V 644 sqq. Democriti de cursu solis et lunae sententiam. Omittitur enim — id quod Woltj. pg. 129 sagacissime eruit — causa cur lunae solis stellarum motus non pro simplici ratione distantiae a terra adaugescant — ita ut luna sol stellae suum quaeque circulum eodem temporis spatio circumferantur —, sed stellae et sol, quae longissime a terra absint, tanto celerius moveantur quam luna, ut non sol semel suum circulum maiorem percurrat quo tempore suum luna, sed ut stellae lunam duodecies anno adipiscantur quo solem paulo post eas sequentem semel praetercurrant. (Quo fit — ut hoc addam — ut sol idem spatium anno videatur obire, in quo luna mensem consumit). Praeterquam quod ratio celerioris motus solis et stellarum desideratur, haec explicatio perspicua est; etsi poëta eam utpote nixam in errore sensuum non debuit collaudare. Quodsi Woltj. (pg. 183) ex illo vitio Lucretium concludit sententiam illam ex Epicuri non ex Democriti scriptis cognovisse, non magis hoc mihi probatur quam cum ex discriminibus, quae inter Thucydidis et Lucretii pestilentiae descriptiones intercedunt, quae mihi quidem accuratius comparata alteram alterius imaginem esse quasi vociferari videntur (cf. Brieg. Burs. Jahresb. 1877 II. 75), Lucretium suam ex Epicuri secundario fonte hausisse efficit

(pg. 160). Omnino parum veri simile videtur poëtam praeter magistrum etiam Democrito ut inter reges Anco, inter rerum potentes Scipionibus, inter poëtas Homero palmam tributurum fuisse (III 1039), si omnem Democriti notitiam scriptis deberet Epicuri, qui nullius discipulus videri voluit (Zeller. III 1, pg. 364 adn. 2) et Democritum, quem *Ληρόκριτον* nominavit, tum potissimum appellasse videtur cum placita eius redargueret (Zeller. 365 adn. 3).

Quae disputavi confirmari videntur consilio et dispositione carminis, quae poëta vix mutuatus est a magistro. Nam etsi forte Epicurus, qui omni philosophia iucunditatem vitae sequebatur, libris 37 *περὶ φύσεως* id maxime egit ut metum tolleret, quem res mirabiles excitare possent, tamen num in eis tractarit quae — antea ut videtur — in libris *περὶ τοῦ ὁρᾶν, περὶ τῆς ἐν τῇ ἀτόμῳ γωνίας, περὶ εἰδώλων, περὶ νόσων* aliis disseruit, certe dubium est quam maxime.

Index locorum

in capite I. tractatorum.

l. I	76. 7	pg. 19
	146—48	45
	153. 54	13
	211. 12	34
	429	39
	489. 90	13
	531	39
	548	40
	574	40
	595. 96	19
	609	40
	633. 34	22
	635. 36	14
	670—74	36
	705. 6	14
	757	36
	789—93, 797	36
	817—19	20
	820. 21, 823—26	22
l. I	908—10	pg. 20
	919. 10	27
	926—50	49
	1021—24, 1026	32
	1079. 80	27
	29—33	28
l. II	55—61	45
	163. 164	38
	177—81	29
	236. 37	27
	336. 37	22
	478. 79, 522. 23	15
	632	13
	688—91, 692. 94	22
	723—26	22
	750—54. 56	36
	760—62	20
	864	41

l. II 976. 77 . . . . pg. 27
998 42
1007—9 20
1015. 16 . . . 22
1020 22
1061—63 . . . 32
l. III 87—93 45
519. 20 36
784—97 31
l. IV 1—25 49
170—73 18
207. 8 38
217—29 48
229 13
246. 47, 280. 81 . . . 16
649. 50 22
672 39
l. V 82—90 19
128—41 31
187—91 32
195—99 29
210. 11 34
l. V 266. 67, 269—72, 388. 89 . . . pg. 17
419—31 32
441. 42 22
528 13
795. 96, 821 . . . 42
1315, 1345 13
1392—96 . . . 28
l. VI 35—41 45
56. 7 13
58—66 19
87—89 14
90. 1 13
228. 29 13
251—54 18
383—85 37
635—38 17
923—35 48
933 13

Vita.

Guilelmus Lohmann natus sum prid. non. dec. a. 1858 Bielefeldae patre Guilelmo, quem alterum agenti annum morte mihi ereptum esse lugeo, matre Emilia e gente Brahe. Fidei addictus sum evangelicae. Primis literarum elementis imbutus gymnasium urbis patriae frequentavi, quod iam tum Nitzschio rectore florebat; ibique, postquam sororis maritum A. Eberhard Magdeburgum comitatus per biennium paedagogii Beatae Virginis discipulus fueram, auctumno a. 1877 maturitatis testimonium consecutus sum. Deinde sex menses Bonnae, bis sex menses Lipsiae, quinquies sex menses Berolini in studia philologa et philosopha incubui.

Docuerunt me homines doctissimi Bonnae: Bernays, Birlinger, Buecheler, Usener; Lipsiae: Curtius, Drobisch, Hirzel, Lange, Lipsius, Overbeck, Ribbeck; Berolini: Droysen, Huebner, Kirchhoff, Scherer, Vahlen, Wattenbach, Zeller. Lipsiae interfui proseminarii exercitationibus; Berolini me admiserunt ad exercitationes theodiscas Muellenhoff, Zeller ad Aristoteleas; praeterea per biennium sodalis ordinarius fui seminarii philologi regii. His viris omnibus, praecipue Kirchhoffio et Vahleno seminarii rectoribus mihique praeceptoribus dilectissimis, candidissimas ago gratias.

Sententiae controversae.

1. Lucretium I 255. 6 scripsisse puto:

hinc laetas urbes pueris florere videmus,
frondiferasque novis avibus *scatere* undique silvas (traditur: canere).

2. Argumentum versuum Lucr. I 859 sqq. integrum mihi videtur et versus ipsi in hunc modum distinguendi:

quoniam cibus auget corpus alitque
860 scire licet nobis venas et sanguen et ossa,
861 sive cibos omnis commixto corpore dicent
esse et habere in se nervorum corpora parva
ossaque et omnino venas partisque cruoris,
fiet uti cibus omnis, et aridus et *liquor*, ipse
865 ex alienigenis rebus constare putetur.

3. Lucr. II 23 parenthesis videtur agnoscenda esse nec vero quidquam mutandum:

gratius inter dum — neque natura ipsa requirit —
si non aurea sunt iuvenum simulacra . . .

Item Lucr. III 790 (V 134) scriptura librorum servari potest, si verba ita distinguuntur:

animi natura nequit sine corpore oriri
sola neque a nervis et sanguine longiter esse;
790 quod — si posset enim — multo prius ipsa animi vis
in capite aut umeris . . . esse | posset.

4. Lucr. II 284 legatur:

quare in seminibus quoque *item* fateare necessest
esse aliam praeter plagas . . . causam | motibus.

5. Lucr. II 982 requiritur quod familiaris quidam mihi proposuit:

inde *haec* ex aliis nusquam consistere ut ausis (traditur *ali*).

6. Lucr. II 292 legendum videtur:

sed ne mens ipsa necessum
intestinum habeat . . . et devicta quasi („id“ Lachm. addidit)
cogatur ferre patique,
officit (obficit) exiguum clinamen principiorum (traditur „id fult“).

7. Plotin. Enn. II 1, 6 *ἐπεὶ καὶ τὸ πυκνὸν τῷ χρυσῷ ὕδατι ὄντι προσγίνεται οὐ γῆς προσγινομένης ἀλλὰ πυκνότητος ἢ πήξεως* verbum *χρυσῷ*, cuius loco suspiceris reponendum esse *κρυστάλλῳ* (Plat. Tim. 59, E.), servari potest (Plat. Tim. 59, A. B.).

8. Plotin. Enn. I 8, 4 recipienda est scriptura cod. Monacensis C *οἷόν φησι δουλωσάμενοι μὲν ᾧ πέφυκε κακία ψυχῆς ἐγγίνεσθαι;* sed notio verbi *δουλωσάμενοι* et structura totius sententiae aliae sunt atque Plat. Phaedr. 256 B *δουλωσάμενοι μὲν ᾧ κακία ψυχῆς ἐνεγίγνετο*, quem locum Plotinus recordari videtur.

9. Lucr. non satis sibi constat, cum docet IV 834 sqq. „quod natumst id procreat usum, nec fuit ante videre oculorum lumina natum“ cett. et V 1028 sqq. „utilitas expressit nomina rerum . .

1033 sentit enim vim quisque suam quo ad possit abuti.
cornua nata prius vitulo quam frontibus extent,
illis iratus petit atque infestus inurget“.

Etenim aut procreat vis, quae sentitur, membra — id quod a doctrina Epicuri abhorret — aut non sentitur, antequam membra genita sunt.

10. Lucretio opprobrio vertendum est quod III 717 sqq. loquitur quasi oriantur animantes ex anima, cum tamen II 865 sqq. recte probarit ex insensibilibus principiis omnia constare (cf. II 928).

Brunsvigae, typis M. Bruhnii.

